47373/B

SCHULZE, J. H.
1) Pathologia generalis 1747
2) Therapia generalis 1746

Bookplate of Recamier
on verso of t.p. of
Therapia

92550

D. IO. HENRICI SCHVLZII,

QVONDAM MEDICINAE, ELOQVENTIAE, ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIAE IN REGIA FRIDERICIANA ACADEMIA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM ET PETROPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALIS,

PATHOLOGIA GENERALIS

IN VSVM

AVDITORVM PVBLICAE LVCI

EXPOSITA

A

CHRISTOPH. CAROLO STRVMPFF

MEDICINAE DOCTORE.

HALAE,

SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI,

CIↃ IↃ CC XXXXVII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CONSPECTVS.

Prolegomena. . Pag. 1

PARS I.

Sectio I. de variis modis, quibus fluida corporis humani vitiantur. 8

II. de vitiis humorum in qualitate. 26

III. de variis modis, quibus partes ſolidæ vitiantur. 53

IIII. de vitiis temperiei. 59

V. de morborum differentiis accidentalibus indeque deſumtis denominationibus. 63

PARS. II. de ſyndromis variorum vitiorum, quæ morborum ſumma aut frequentiora genera conſtituunt. 70

Sectio I. de doloribus. ibid.

II. de hæmorrhagiis. 75

III.

III. de congeſtionibus humorum. 90

IIII. de inflammationibus. 96

V. de febribus. 101

VI. de affectibus catarrhalibus, rheumaticis & arthriticis. 109

VII. de morbis ſpasmodicis & conuulſiuis, ceterisque animales functiones lædentibus. 121

VIII. de cauſis morborum remotioribus ſiue procatarcticis. 137

Subſectio I. de aëre. 138

II. de cibo & potu. 152

III. de motu & quiete. 160

IIII. de ſomno & vigiliis. 162

V. de excretis & retentis. 164

VI. de animi affectibus, morborum cauſis. 173

PROLE-

PROLEGOMENA.

§. I.

Pathologia nomen accepit a græco πάθος, paſſio & λόγος, ſermo, adeoque idem valet, ac ſi diceres, doctrina de paſſionibus. Dicitur autem paſſio generaliter de omnibus, quæcunque præternaturaliter in noſtris corporibus offenduntur, quibus efficitur, vt placida & perpetua ſeries actionum ſecundum naturam, quæ vitam ac ſanitatem efficit, quouiscunque modo perturbetur: adeoque tria complectitur, quæ diſtinctis nominibus a methodi didacticæ peritis inſignita ſunt: 1. morbum, 2. cauſam morbi, 3. accidentia morbi, quæ ſymptomata, græco nomine tantundem valente, appellantur.

§. II.

Quemadmodum vero ſanitas eſt diſpoſitio corporis humani ſecundum naturam, qua aptum eſt, omnibus actionibus, homini ſuo tempore competentibus, cum facilitate exercendis, ita morbus, definitione medica, eſt diſpoſitio corporis humani præternaturalis actiones haſce conſpicue lædens & alia morboſa ſymptomata ſecum inferens.

§. III.

Sanitatis ſubiectum eſt totum corpus humanum ſecundum omnes partes, tam continentes quam contentas, firmas & fluidas; ita etiam ex lege contrariorum, morbi ſubiectum erit totus homo. Sed ſcholæ medicæ, præeunte Fernelio, plerumque morbum in ſolis partibus firmis ponunt, cauſasque morborum in fluidis quærunt.

§. IIII.

Si quis cogitat, quod in corporis noſtri mechaniſmo omnium rationes ſibi mutuo implicatæ ſint, vnumque in alterum agat, fluida a ſolidis impellantur, hæc vero viciſſim mouendi vires & omne robur a fluidis expectent, facillime cognoſcet.

gnoſcet, quam ſit difficile & arduum opus, accuratiſſime determinare primum vitii initium, inuenireque & indicare progreſſum & incrementa, donec eo vsque inualeſcat, vt ſe manifeſte prodat.

§. V.

Quoniam autem ſe primo produnt motibus vel iuſto languidioribus vel nimis concitatis, aliquando imminutis, deprauatis, omnino ceſſantibus, plerumque morbus in partibus firmis primum animaduertitur, vtpote motuum ſubſidiis aut inſtrumentis: cauſa autem animaduerſi vitii in fluidorum aliquo vitio, ſiue abundantia, ſiue defectu, ſiue impedito, ſiue prohibito influxu, ſiue tandem in ipſa craſi & qualitate a naturali bonitate deficiente & recedente obſeruatur.

§. VI.

Enimuero nondum licet hanc rem plenius examinare, oportet prius, vel hiſtoriæ cauſa, intueri, quantopere hæc res umma ingenia exercuerit & in diſcrepanes ſententias abripuerit. Egregius eſt in anc rem locus Cornelii Celſi in præfaione libr. I. (edit. Wedel. p. 5.) vbi præ-

cipuarum ſectarum diſſenſum circa hoc negotium exponit, quantum ex ſcriptis eorum, qui ſuam ætatem prægreſſi erant aut attigerant, inuenerat.

§. VII.

Poſt eius tempora magis inclaruerunt methodici, qui omnes morbos reuocabant ad tria genera: 1. ſtrictum, 2. laxum & 3. ex vtraque mixtum. Hi, quamquam ratiocinia reiiciebant, morbum tamen manifeſte collocabant in ſolidis, cauſam vero in fluidis, quod nos docet eorum praxis, præcipue doctrina de metaſyncriſi ſeu recorporatione, cui in curationibus plurimum tribuebant.

§. VIII.

Exortus tandem Galenus, dialecticæ diſciplinæ magnus amator & philoſophus, vt illa ferebant tempora, acutus eam condidit ſectam, quæ inde ab eo tempore per Arabico-ſcholaſticam longiſſimam periodum durauit & noſtro adhuc æuo quibusdam locis nondum abiecta, etſi interpolata & correcta, fuit.

§. VIIII.

Is docuerat, morbum inhærere parti-

bu

bus, quod cum accipiendum eſſet ſecundum Hippocratis partium diuiſionem, aliqui rapuerunt in eum ſenſum, quo inſtitutionum auctores, quando res naturales recenſent, partes ab humoribus diſtinguunt, vt & a ſpiritibus, idque ex mente Arabum. Ex quo deinde orta eſt noua quæſtio: poſſintne humores & ſpiritus etiam morbi ſubiectum dici? quam negare non potuere, varias autem excogitarunt diſtinctiones, quibus recenſendis ſuperſedeo.

§. X.

Propiori æuo inter multas medicinæ dogmaticæ metamorphoſes pathologia etiam verſata fuit, aliis corpuſculari, aut chymicæ philoſophiæ addictis, de humorum vitiis ⊖inis, viſcidis, +cidis alcalinis, hincque ortis efferueſcentiis & fermentationibus, particularumque ex alia figura in aliam mutationibus multum philoſophantibus: aliis, cum viderent, talia non poſſe ſufficere, Archæum aliquem motorem aut ſpiritus varios in ſubſidium vocantibus, quos vel vna cum ⊖ibus & viſcido aut fermentationibus, ſimilibus-

que adhibebant, vel illis exploſis hos ſolum admiſerunt, vt totam fabulam peragerent.

§. XI.

Non poteſt vtique negari, dari in fluidis veros & realiter demonſtrabiles morbos, eosque varios in quantitate excedente vel imminuta aut in qualitate vario modo deprauata conſtantes, ſed & veriſſimum eſt, pauciſſimos eorum ante cognoſci quam ſe prodant vitio ſolidis partibus affricto, motibusque deprauatis, niſi forte venæſectio rem prodat aut alius modus humorem certum eliciendi.

§. XII.

Talium rationem habendam eſſe pathologo omnino patet, tam in ordine ad ætiologiam eruendam, quam reſpectu effectuum, qui ex tali mala conſtitutione, tanquam cauſa, conſequuntur, atque hoc eſt præcipuum opus pathologiæ generalis in talia vitia, quaſi prima & tanquam ſtamina morborum inquirere eaque tam in fluidis quam firmis partibus hisque tam ſimilaribus quam diſſimilaribus ſeu organicis indagare.

§. XIII.

§. XIII.

Atque in hoc ſingulorum generali, quæ deprehenduntur, vitiorum ſcrutinio nondum apparet, an morbi, an cauſæ vel ſymptomatis rationem habeant, hoc enim demum cognoſcitur in ſingulis morbis iam enatis ex certa multorum vitiorum ſyndrome, quam conſiderat pathologia ſpecialis.

§. XIIII.

Nos itaque generalem pathologiam tractaturi, percurremus vitia, quæcunque accidere poſſe & ſolere compertum eſt 1. humoribus, 2. partibus ſimplicioribus, vulgo ſimilaribus dictis, 3. partibus compoſitis ſeu diſſimilaribus & organicis. Dein ſyndromarum frequentiorum conſiderationem ſecundum certa genera inſtituemus, vt dolorum, febrium &c. tum cauſas talium percurremus & tandem ſymptomatum rationem ſecundum claſſem eorum triplicem habebimus.

PARS I.

SECTIO I.

DE VARIIS MODIS, QVIBVS FLVIDA CORPORIS HVMANI VITIANTVR.

§. I.

Humorum vitia varia potiſſimum ad IIII. claſſes referuntur, peccant enim vel quantitate, vel qualitate, vel motu vel loco.

§. II.

Quantitate vel excedunt humores vel deficiunt.

§. III.

Maſſa ſanguinea maiori quantitati, quam vt commode moueri & diſtribui poſſit, in corpore præſens dicitur plethora aut repletio. cuius cauſa eſt habitus optimus ad ſummum deductus vigente chylificatione & ſanguificatione optima. Qualem conſtitutionem athleticam dicit Hippocrates cum veteribus & periculi plenam declarat. Obſeruatur quam maxime, dum vtimur pleno victu, animo ſecuro, parco aut nullo motu.

§. IIII.

Variæ in ſcriptis medicorum memorantur plethoræ diſtinctiones, quarum maxime fundata videtur illa, quæ diſtinguit inter plethoram ſinceram,

ram, vbi vere optimus ſanguis, nondum alio vitio corruptus in corpore adeſt, & plethoram cacochymicam, quando prægrauans abundantia humorum coniuncta eſt cum diuerſis craſeos ſeu mixtionis vitiis.

§. V.

Mixtionis hæc vitia conſiderantur ſub titulo cacochymiæ, cuius diuerſas ſpecies inferius videbimus, quando qualitatis vitia percenſebimus.

§. VI.

Sed plethora tam ſinceri & optimi ſanguis, quam vitioſi rurſus diſtinguitur, vt alia ſit ad vaſa, quando maior copia eſt, quam vt arteriæ & venæ commode capere & ſalua ſua virtute ſyſtaltica propellere poſſint: alia ad vires, quando ſanguinis copia reſpectu vaſorum continentium non adeo conſpicue modum ſuperat, ſed indiuiduales rationes ſubiecti, vt ætas, morbus malignus &c. vires deiecerunt, vt non ſufficiant etiam iuſtæ quantitati in circulum ſatis vegete propellendæ.

§. VII.

Poteſt etiam concipi plethora vere talis, cum re ipſa adeſt ſanguinis nimia copia & apparenter tantum talis, quando ſanguis vel a calore ambiente, vel ab aſſumtis expanſiuis, turget & expanditur, vt latera vaſorum vndique in toto corpore plus ſolito expandat & diſtendat, quo ipſo ſi nimium fiat, contrahendi vires debilitantur, tandemque exſuperantur.

§. VIII.

Plethoræ contrarium vitium eſt defectus humorum, maſſam ſanguineam conſtituentium, diciturque oligh æmia ſeu paucitas ſanguinis, vel anhæmia, quando ſanguis fere omnis effluxit.

§. VIIII.

Paucitas tunc vitium cenſetur, quando functiones lædit & debilitatem ad agendum aut prorſus impotentiam affert raroque niſi ab externa cauſſa, aut enormi euacuatione, accidit.

§. X.

Quemadmodum nimia ſanguinis copia vaſorum diametros adauget & dilatat; quod ſi vltra modum fiat, virtutem eorum ſyſtalticam debilitat tandemque ſuperat, ita paucitas ſanguinis efficit, vt diametri anguſtiores ſenſim fiant. Quod ſi ad certum gradum fiat, ſegniores quidem debilioresque omnes actiones reddit, verum non penitus easdem auffert: ſi vero tantum ſint imminuti humores, vt elaſtici tubi illi non amplius complecti fluidum & propellere preſſione ſua amplexoria, periſtaltica, poſſint; progreſſus contenti reliqui continuus interrumpitur, vitæque hinc periculum imminet, quemadmodum ex priori, a iuſto pauciori quantitate, tarditas progreſſus enaſcitur, hinc caloris vitalis imminutio, ſanguinis & lymphæ ſpiſſeſcentia, ſecretionum imminutio, lymphæ ſtaſis, tumores œdematoſi, viſcerum indurationes.

§. XI.

§. XI.

Dantur etiam ægroti, qui vere laborant defectu boni & laudabilis ſanguinis, eius vero loco alunt in vaſis ſuis ſanguinem degenerem, inſtar lactis album aut inſtar ⊡ feroſum, paucis vel nullis rubedinis naturalis veſtigiis præſentibus & ſuperſtitibus. Hos tamen ad cacochymicos potiori iure referri manifeſtum eſt.

§. XII.

Quemadmodum tota maſſa peccare tam in exceſſu quam in defectu poteſt, ita etiam humores ex maſſa ſecreti vel abundant vel deficiunt, eodemque corporis conſtitutionem ſubinde valde lædunt & corrumpunt.

§, XIII.

Sic bilis tanta copia aliquibus ſuppetit, vt vix corpus poſſit inclinare profundius, quin ſinceræ bilis largam quantitatem euomant talesque fluxibus cholericis & febribus biliofis præ aliis obnoxii deprehenduntur.

§. XIIII.

Sed in aliis defectus bilis manifeſtus eſt & ex conſequentibus inde actionum læſionibus conſpicitur, ſcilicet ex chylificatione læſa, vnde icterioris ſubſequitur ſanguinis rubicundi defectus; in iisdem deiectiones albæ aut gryſeæ obſeruantur, quia particulæ aſſumtorum pingues, deficiente hoc vnionis cum aqueis vinculo, non extrahuntur,

adeo-

adeoque cum excrementis deiiciuntur, ſolis ▽ſis in vaſa chyloſa abeuntibus.

§. XV.

Defectus hic bilis prouenit a vitioſa organi ſecretorii conſtitutione, quando vel ſpasmodica ſtrictura capſulæ Gliſſonianæ inhæret, vel ductus excretorii quocunque modo obſtructi ſunt & effluxum bilis impediunt: ſed hanc cauſam iterum inferius attingemus, hic tantum effectum noxium defectus notamus.

§. XVI.

Vere ne detur abundantia ſaliuæ, liquoris gaſtrici, pancreatis & laticis inteſtinalis vitioſa, dubitari poſſe video. Franciſcus Syluius alicubi accuſat ⊖iuæ abundantiam: enimuero frequens ſputatio hypochondriacorum, eſt quidem nimis copioſa excretio, ſed quæ aliam, quam abundantiam, agnoſcit cauſam. Appetitus quoque exceſſiuus, neſcio, an ſatis certo arguat abundantiam liquoris gaſtrici, cum ſæpe deprehenſi ſint lumbrici lati ſubfuiſſe, a quibus bulinus productus fuerit.

§. XVII.

Succum pancreaticum copia excedere paſſim inculcat idem Franc. Syluius, cauſamque aſſumit humorum omnium abundantiam, alimentorum +dorum nimium vſum, euacuationes ſubacidorum conſuetas neglectas vel ceſſantes, aliasque id genus; at ſigna & effectus tradere omittit & ſubdubitan-

dubitanter ſe docere hæc, ſatis clare oſtendit. Laticis inteſtinalis copiam magnam & nimiam colligimus ex alui perpetua fluiditate non concurrente alia propiori cauſa, cui effectum iſtum aſſignemus.

§. XVIII.

Defectum horum humorum ſæpe notamus; & ſaliuæ quidem in morbis calidioribus, ob ſerum ▽ſum per alias excretiones nimis abſumtum, aut quod alibi effunditur ſerum, vt in hydrope, diabete &c. vnde in talibus ſitis valde vrget; vel ob organi ſecretorii vitium, quando obſtructum aut intumeſcentia partium vicinarum, adducentia vaſa compreſſa ſunt: vel omnino per vulnus aut abſceſſum corrupta ipſique ductus excretorii abſciſſi nec iterum conſolidati ſunt.

§. XVIIII.

Eundem defectum inducunt abuſus apophlegmatizantium, vt nicotianæ fumi nimius ſuctus, maſticatio radicum acriorum, & infauſtum illud tentamen, ſaliuationem per ♀ea medicamenta inducendi, quorum adſtrictiua facultas deinceps exſuccos homines relinquit.

§. XX.

Liquoris gaſtrici defectum arguimus ex anorexia vt apepſia: cauſamque eius deprehendimus abuſum opiatorum & narcoticorum, nimias vigilias & meditationes aut mœrorem grauiorem diuturnioremque, atoniam ventriculi cum flatulen-

tia,

tia, vnde inter latera expanſarum tunicarum preſſa vaſa non ſinunt libere ad intimam tunicam influere humores, ex quibus ſecretio debet fieri, alio tempore ſtricturam ſpaſmodicam.

§. XXI.

Succi pancreatici defectum producit partis ſecretoriæ induratio ſcirrhoſa & vlceroſa diſpoſitio, vnde effluit in cauum abdominis & inter hydropis aſcitæ cauſas refertur. Producit vitiatam concoctionem & chylificationem, vnde deinceps porro ſanguificationem lædi neceſſe eſt.

§. XXII.

Laticis inteſtinalis defectus notatur a nimia alui ſiccitate crebrisque eius obſtructionibus; inducitur ab iisdem cauſis, quas §. XVIIII. vidimus: quibus addenda ſunt adſtringentia profundius penetrantia. 🜃eaque abſorbentia cum muco inteſtinorum in craſſum tegmen, ſuperficiem internam inuoluens, abeuntia ſicque effluxum huius laticis æque ac introitum in orificia vaſculorum adducentium prohibentia.

§. XXIII.

Seminis materiæque ſeminalis abundantia in vtroque ſexu nimis ſæpe occurrit, iis vtique, qui diæta pleniore, ſecuritate, otio fruuntur: nonnunquam viſi etiam ſunt homunciones corpore ſicciſſimo & tenuiſſimo præditi, & inter ſat multos labores ac moleſtias tenuiſſime victitantes, in venere

nere tamen inſatiabiles: prorſus vt hæreditariam diſpoſitionem valere hic aliquid exiſtimare liceat.

§. XXIIII.

Qui nunquam ♀e vſi ſunt, diuque ſe continuerunt, facilius vincunt hos ſtimulos, quam qui olim illis indulſerunt, difficiliusque feminæ iuuenculæ viduatæ, quam aliæ, ſine valetudinis diſcrimine hic emergunt.

§. XXV.

Facit animo torpidos, corpore ſegnes, temporis progreſſu ad melancholiam maniamque variis nominibus inſignitas, procedit. Quando mœror vna inualeſcit, paſſiones mulierum hyſtericæ ſuffocationesque vterinæ ſuperueniunt, vitamque omnem affligunt.

§. XXVI.

Defectus ſeminis quibusdam eſt, qui hinc frigidi vocantur, & eunuchi natura tales. Aliquibus contingit ab organorum ſemen elaborantium vitio, quod varium eſſe poteſt: ſic obſeruatum eſt, arterias ſeminales aut ad teſtes non perueniſſe, aut peruias non fuiſſe, quod inemendabile arti eſſe patet: forteque in plerisque frigidis tale vitium ſubeſt. Aliquibus vel vterque teſtis vel alteruter ablatus aut contuſus & comminutus eſt, vt nihil ſeminis elaborari poſſit, aut indurauit & ſcirrhoſus factus eſt, aut ad paraſtatarum exortum vlcus factum, materiam ſecretam ſinit ibi effluere: quibusdam ſub lithotomia abſciſſi & corrupti ſunt extremi

tremi ductus excretorii ad ſic dictum caput gallinaginis abeuntes: vis demum ſeminificans ſuppreſſa fuit morbo, aut malis medicamentis.

§. XXVII.

In feminis vero abſtruſius eſt hoc negotium, quoniam phyſiologi nondum ſatis peruiderunt, quid femina conferat ad conceptionem fæcundam; illud tamen ſatis, puto, conſtat, cetera libidinoſas feminas & veneri deditas, multisque ſe ſubiicientes, tamen non concipere, idque malis medicamentis effici poſſe, ſcio. Quid vero ſit, quod medicamenta aufferunt, omnino mihi eſt imperueſtigabile.

§. XXVIII.

Lactis abundantia tunc accuſatur, quando feminæ lactanti plus affluit, quam lactenti ſufficit, indeque incommoda ſentit, deinde quando iam ablactato infante non vult ceſſare generatio lactis. Vidi feminam, quæ in 4. vsque annum ab ablactatione nunquam lacte caruit, per duos annos pluresue menſes ordinaria & larga copia inſtructam, quæ denique ſenſim quidem imminuebatur, ita tamen vt ſemper maneret tantum lactis, vt vncias, quoties vellet, emulgere poſſet, fluentibus ſuo tempore menſtruis. Diſperuit tandem lac, cum febre acuta epidemica corriperetur.

§. XXVIIII.

Satis difficilis eſt ratio eiusmodi euentus & vt in vna eademque animalium ſpecie quædam, e.g.

vaccæ

vaccæ præ aliis plus lactis tribuunt, quamuis non alio quam communi cum reliquis victu vtantur; ita etiam indiuiduales rationes in ſtructura & habitu corporis ſubeſſe videntur, quas non facile aliquis accuratiſſime euoluit.

§. XXX.

Longe frequentius tamen accuſatur verus lactis defectus & prouentus intempeſtiua ceſſatio. Ea vbi fit menſtruis reuertentibus aut noua imprægnatione facta, maxime naturalis eſt, in ceteris valde eo valent iracundia crebra indeque contracti morbi, mœror, diæta incongrua, vnde ſimul qualitas producti lactis læditur & peruertitur. Inemendabilis autem eſt mammæ induratio ſcirrhoſa tantoque magis per abſceſſus olim factos, aut amputationem ablatio, vt & alia organica vitia.

§. XXXI.

Quando lactis abundantia prægreſſa ſubito, per iracundiam grauiorem, accedente mœrore, ſupprimitur & cohibetur forteque in mammis coagulatur, vt extrahi diſſiparique non poſſit, periculoſi & ſontici effectus viſi ſunt ſubſequi. Sic memini talem feminam in maniam prolapſam: ſimilisque caſus in obſeruationibus Henr. ab Heer commemoratur.

§. XXXII.

Circa oculum fit ſecretio duplicis humoris, alterius fluidioris, qui bulbum continuo humectat & mobilem reddit, forte etiam interius humori

(*Schulz. Pathol. gener.*)

aqueo ſupplementum affert, alterius craſſioris ex glandula Meibomiana, quo oculum circumdantes palpebræ glutinantur interque dormiendum clauduntur. Vtriusque datur exceſſus in pituita & lippitudine apud veteres nominatiſſimis morbis, & hodie quibusdam gentibus ſatis familiaribus; alterutriusque defectus in xerophthalmia ſeu lippitudine ſicca & atrophia oculi.

§. XXXIII.

Quando abundantior eſt illa humiditas, lacrymæ inuoluntariæ per genas defluunt, quod aliquibus in alterutro, aliis in vtroque oculo contingit. Aliquando manifeſte coniunctum eſt vitium nimiæ acrimoniæ ⊖inæ, quæ vsque ad cryſtallorum ⊖inorum prouentum in quibusdam procedit, ſed alii absque ea conſpicua tamen humido ſemper innatantes oculos gerunt, vbi atoniam illarum partium & laxitatem pororum excretoriorum in cauſſa eſſe ſuſpicari licet.

§. XXXIIII.

Quibusdam non tam lacrymæ abundant, quam glutinoſus humor, qui in angulo & inter cilia copioſe & indecore concreſcit, vt ſubinde emolliente opus ſit, quo remoueri queat, ſed vitium eſt potius primæ, quam confirmatæ ætatis, debeturque humorum tenacium abundantiæ.

§. XXXV.

Xerophthalmia, i. e. ſiccitas oculi, eſt apud nos rarior

rarior. Oculi aciem hebetat tandemque corrumpit cum oculi aliquando conſpicua atrophia. Curaui nobilem virginem, quæ culinaribus laboribus nimis dedita coquinariæque ſcientiæ magiſterium affectans, id ſibi vitium cum periculo cæcitatis propinquo contraxerat. Exſiccatio & ductuum excretoriorum contractio & anguſtatio mali radix eſt, vt contraria medicina, qua effectus ſublatus fuit, didici.

§. XXXVI.

Pituita narium etiam vel abundat naresque continuo madentes & fluentes facit, vel deficit. Etiam hic indiuiduorum ratio variat & ætatum. Aetas primæ iuuentutis ſatis humidas plerumque habet nares multumque muci proiicit, ſed ex hominibus conſiſtentis ætatis quidam toto anno vix indigent linteo niſi ad ſudorem extergendum: alii contrario modo habent, & præ ceteris ſexus ſequior & temperamentum ſanguineum nacti etiam viri, qui, vbi minima aëris ad humidum frigidum mutatio accidit, coryza vel grauedine diuexantur.

§. XXXVII.

Abundantia nimia facit prædicta incommoda & diſponit in ſeriori ætate ad catarrhum ſuffocatiuum, phtiſin & apoplexiam ſeroſam; odoratum ſæpe lædit & loquelæ officit: nimia autem ſiccitas odoratum minuit & cum tempore plane auffert.

§. XXXVIII.

Ad abundantiam facit habitatio aut crebrior &

diuturna commemoratio in aëre humido, præſertim calido, ſuccedente deinde frigido, & abuſus errhinorum.

§. XXXVIIII.

Cerumen aurium, qua forma eximitur, non magnopere peccat, ſed conſiderandum, qua forma ſecundum naturam exſudat, vt humor tenuis lubricandæ & in ſua naturali mollitie conſeruandæ tympani membranæ accommodatus & idoneus reddatur.

§. XXXX.

Abundat & craſi vitioſus eſt hic humor in illis, qui aures habent manantes, quibus & per meatum auris effluit & per tubam Euſtachianam in ſummas fauces ſubinde erumpit.

§. XXXXI.

Eſt a decubitu humorum in hanc partem eiusque debilitate a prægreſſa quadam læſione contracta aut a retropulſis exanthematibus, deinde a relaxatione membranæ & pororum excretoriorum elongatione & amplificatione præter naturam. Inducit cum tempore obauditionem omnimodamque ſurditatem. Conf. act. phyſico-med. A. N. C. Vol. I. p. 498.

§. XXXXII.

Liquidum, quo trachea & bronchia humectantur, non minus abundat, quam illud, quod tunicam nares inueſtientem rigat. Fit hoc in tuſſi & aſthmate humidis acciditque ex eadem cauſa, vnde

de pendet coryza. Vbi autem excretorii ductus conſtricti ſunt & pro tempore non excernunt, fit inæqualitas internæ ſuperficiei indeque raucedo.

§. XXXXIII.

Interna thoracis ſuperficies, vt & cordis & pericardii continuo transſudare ſinunt humiditatem aliquam, quam reſorberi iterum veroſimile eſt, etſi modus quoad thoracem nondum eſt cognitus. Vbi nimium affluit & aceruatur, facit hydropem pectoris & pericardii, ſi plane nihil humorum pericardio inſit, motum cordis difficiliorem fieri par eſt, multumque de eo paſſim legitur, quod obſeruationem vlteriorem expectare videtur.

§. XXXXIIII.

Similiter abdominis interna rigantur perpetua humiditate, quam profundunt pori in ſuperficie viſcerum & peritonæi: reſorbere autem eandem ſuperfluam meſenterii ſuperiorem lamellam, quam Ruyſchius villoſam eſſe primus obſeruauit, veroſimillimum eſt.

§. XXXXV.

Vbi copioſa eſt hæc ſecretio, ſed non proportionata reſorptio, via patet frequentiſſima ad hydropem aſcitem: de defectu nihil, quod cum certitudine dicam, habeo.

§. XXXXVI.

Copioſior ſecretio nunquam non ſupponit cauſam aliquam, quæ progreſſum humorum, aut e-

 greſſum

greſſum ex aliquo viſcere, difficiliorem facit, e. g. polypus cordis, adiacentis arteriæ pulmonalis aut aortæ, idem ſi accidat venæ pulmonali, aut ſinus eius obſeſſus ſit, redundabit difficultas in pulmones ſicque non ſolum per bronchia copioſius ſerum eliditur, ſed per tunicam pulmonum transſudat. In abdomine hepatis ac lienis induratio facit infarctum vaſorum venæ portæ: vnde exſudat per tunicam rarefactam ab expanſione, pari modo, vt lympha per venas nimium repletas & infarctas elabitur & œdema facit.

§. XXXVII.

Vrethra, veſica, vreteres cum pelui renum obducuntur quadam mucilaginoſa humiditate, quæ has vias ab vrinæ acrimonia præſeruat. Defectus eius accuſatur in ſtranguria, præſertim ſenili; abundantiam a nemine video allegatam.

§. XXXVIII.

Humor ille glutinoſus, qui in articulis, ad capita oſſium illorumque acetabula & receptacula lubricanda motumque faciliorem reddendum ſecernitur & aſſeruatur, vitioſe abundat nonnullis & dolorificas collectiones ibi facit, quas vbi aperuimus, inuenimus magnam tenacis & mucilaginoſi humoris copiam, ouorum albumini ſimilem, qua effluit, quod vulgo vocant das Glied-Waſſer ſynouiam (Celſo melicerides articularum vocatur.)

§. XXXVIIII.

Eius cauſa plerumque eſt prægreſſa partis articulatæ

culatæ læſio per luxationem, lapſum aut tumorem capitis articuli eiusque ſubſecutam exulcerationem, a qua aſpera illa facta, cartilaginem & ſic dictam glandulam mucilaginoſam atterit.

§. L.

Defectus accuſatur in ſtrepitu oſſium ſcorbutico.

§. LI.

Sudor aliquando nimius iudicatur, aliquando omnino deficit. Nimius prouentus, quando a calore ambiente & aſſumtis multis fluidis in homine cetera ſano accidit & languor inde proueniens potu ac quiete aufertur, nihil metuendum oſtendit, vti nec ille ſudor, quamuis ſolito longe copioſior extimeſci debet, qui in morbis acutis die critico cum euphoria accidit. Sed is malus & vitioſus iudicatur, quando tabidorum corpora continuo, præſertim nocturno tempore ſudant, neque inde leuantur aut ſub magnis anxietatibus & doloribus ſudor frigidus erumpit.

§. LII.

Tabidorum & hecticorum ſudores atoniæ & flacciditati fibrarum ipſorumque humorum colliquationi debentur: qualis nonnunquam a virulentia aut contagio, modo pene inexplicabili, euenit. Sub paſſione cardiaca tuſſique conuulſiua, vt & aſthmate, a ſpasmo internas partes conſtringente & obſidente euenit, humoresque te-

nuiores ſub tali conſtitutione vi quadam exprimuntur nullaque re, niſi ſpaſmos deliniente aut aufferente auxilio, corrigi poſſunt.

§. LIII.

Dantur exempla ſudoris particularis abundantis. Noui virum nobilem aulicum, cui manus per æſtatem continuo ſudabant & largiter, vt pluribus per vnum diem chirothecis haberet opus; alii ſub alis, alii ſub pedum plantis copioſe ſudabant. Difficillima eſt vera & clara horum euentuum ætiologia. Illud tamen certum, quod raro cohibeantur tales excretiones ſine conſpicuo ſubſequente damno.

§. LIIII.

Vrinam copioſius excerni a paſtu & potu, nec rarum, nec animaduerſione pathologica magnopere dignum eſt, eandem hieme eſſe copioſiorem & tempeſtate humida frigida, certum eſt, cuius ratio fundatur in ſymboliſmo tranſpirationis cutaneæ cum excretionibus aliis ſeroſis. Sed vitioſa & nimia eſt excretio vrinæ, quando perpetuo matulæ inhiatur & plus quam aſſumtum eſt cum corporis manifeſta conſumtione mingitur, quod raro accidit ſine qualitatis concurrente vitio & habitus corporis conſpicua conſumtione.

§. LV.

Adnotatum quoque apud alios reperimus, quibusdam certis periodis copioſius ⊡ effluere, hocque

que euacuationis genere naturam vti, vt ſe a copia humorum liberet. Idem de certis ſtatisque ſudoribus legitur, vt & de alui euacuationibus: quæ ſingula de humorum quidem abundantia teſtantur in genere, quid vero in iis, qui vere talia habuerunt excretionum ſtata genera, proxime euentum inuitet, nondum vidi a quoquam ponderatum, cum quisque hypotheſeos adamatæ cauſam allegauerit.

§. LVI.

Defectus ſudoris & vrinæ morboſus ſæpe occurrit, ſic in febribus aliquando per complures horas, imo dies, ſqualido calore detenti iacent, vt nec guttula ſudoris emanet, niſi vel dies criticus vel tempus decrementi febrilis exacerbationis finem huic ſiccitati afferat, vel efficacibus medicinis antiſpaſmodicis ſtrictura præſens ſoluatur & auferatur.

§. LVII.

Atque frequentiſſima cauſa deficientis exhalationis cutaneæ ac ſudoris eſt ſtrictura ſpaſmodica ab internis ad ſuperficiem cutis excurrens & vel affluxum ſanguinis arcens vel excretorios pororum fines claudens. Rarius materiæ aliorſum vergentis ibique conſumtæ vitio ceſſat.

§. LVIII.

⊡ aliquando non tam ipſa deficit, quam effluxus impeditus eſt a calculo vreteres obſtruente

 aut

aut vrethræ infixo, aut collo veſicæ arctius inhærente. Sed & nullo horum præſente, ⊡ effluere ceſſat, a ſecretione intercepta, quod iſchuriam vocant ſpuriam & a nimia repletione & abundantia deducunt, quippe ſanguinis miſſione facta, ſæpe ſponte reſoluitur & ceſſat.

§. LVIIII.

Aliquando ⊡æ deficientis aut fluere non volentis culpa reſidet in paralyſi ſeu reſolutione neruorum, quod ſi fiat a lapſu & contuſione grauiori ad ſpinam dorſi, inter mala ſigna habendum eſt, denotatque aliquid adeſſe, quod medullam ſpinalem eo loco premat & non ſinat influere quicquam in neruos loco iſti ſubiectos. Cetera fere ad ſecretionis aut qualitatis vitia referri debent, ad quæ nunc conſideranda in ſingulis humoribus progrediemur.

SECTIO II.

DE VITIIS HVMORVM IN QVALITATE.

§. I.

Transeundum nunc eſt ad vitia humorum, quæ in qualitate conſiſtunt atque æquabilem craſin eorum corrumpunt, vt inde fiat dyſcraſia ſeu cacochymia. Hæc duo nomina

mina fere pro ſynonymis in ſchola medica habentur, quamquam liceret diſtinguere ſimplicem dyſcraſiam, i. e. inæquabilem partium proportionem, quæ ad conſtituendos humores naturaliter requiruntur, & cacochymiam, quando inſunt hominibus & humoribus permixta feruntur, quæ prorſus abeſſe ab illis ſecundum naturam conſtitutis debebant, vt ⊖ia acria, fermentatiuæ, corroſiuæ, coagulatiuæ indolis, qualia obueniunt in lue venerea, ſcorbuto, febribus peſtilentialibus.

§. II.

Ab antiquo celebrantur quatuor cacochymiæ diſtinctæ, ſcilicet pituitoſa, ſeroſa, bilioſa, melancholica.

§. III.

Pituitoſa & ſeroſa reſpiciunt vnam eandemque maſſæ humorum noſtrorum partem, hæc tantum eſt diſtinctio, quod priorem vocent, vbi ſanguis nimis tenax, glutinoſus, viſcidus & mucidus obuenit hincque per vaſa tenuiora minus facile promteque promouetur: ſeroſam autem vocant, quam Carolus Piſo dixit & ſingulari volumine pertractauit, colluuiem ſeroſam, vbi ſcilicet prædominantur particulæ ſanguinis fluidæ ▽eæ, & gelatinoſas mucilaginoſas nimis diluendo quaſi ſupprimunt indeque fibrarum relaxationem & mollitiem efficiunt.

§. IIII.

In cacochymia bilioſa accuſantur portiones ſanguinis ſulphureæ acres in maſſa humorum

præ-

prædominantes, ſiue illæ a temperamento congenito adſint, ſiue ab vſu rerum non naturalium aceruatæ ac hepatis vitio non ſufficienter ſequeſtratæ fuerint.

§. V.

Melancholicam cacochymiam vocant, quando ſanguis abundat prædominantibus 🜃ſtribus ♀eis partibus, vnde ad coagulationem & viarum viſcerumque obſtructionem pronus eſt.

§. VI.

Varias his addiderunt recentiores chymiatri cacochymias, ⊖inas, vt +dam, amaram, ⊖ſam, nidoroſam, alcalinam, inſipidam, idque loco quodam Hippocratis de veteri medicina §. 14. inducti, quo homini ineſſe & amarum & ⊖ſum & dulce & +dum & acerbum & fluidum & alia infinita omnigenas facultates habentia teſtatur, quæ quidem mixta ac inter ſe temperata neque conſpicua ſint, neque hominem lædant.

§. VII.

Atque has omnes & ſingulas cacochymias porro diſtinguunt, vt aliæ habeantur benignæ, quæ craſin non in totum deſtruunt, aliæ malignæ, vbi celeriter illa ac penitus deſtruitur ac euertitur ſicque putredo inducitur, grauiſſimis ſymptomatibus ſtipata.

§. VIII.

Has malignas cacochymias illi, qui ex ⊖um

theoria

theoria chymice philoſophantur, plerumque in acceptis referunt, +do coagulanti ſicque ſtaſim celerem inducenti, alii autem malunt alcalinam cauſticam indolem in illis quærere, propterea quod +da plerumque opitulantur, alcalina autem plus exacerbant.

§. VIIII.

Et ſane ſi veneream cacochymiam conſideramus, vix poſſumus +dum excludere, cum videamus ſemen inſtar lactis congrumatum excerni, ſed an omnem rem exhauriat +di idea, id eſt, de quo valde dubito, ex eo præcipue fundamento, quia ad ſui correctionem non alcalina præciſa requirit, ſed ſpecifica.

§. X.

Maligniſſima totius maſſæ corruptio, ex omnibus ſignis cognoſcitur eſſe indolis cauſticæ animalis, quale fere eſt ⊖ cantharidum. Hocque venenum non tam craſſæ eſt, ſed halituoſæ tenuiſſimæ conſiſtentiæ, quare cito totam maſſam peruadit & niſi incraſſetur, difficillime per organa excretoria eliminatur, quin ſi id factum in ſuperficie interna forte fuit, reſorbetur & humorum commercio redditur.

§. XI.

Fuere patrum noſtrisque temporibus, qui pathologiæ ⊖inæ nimium tribuere, alii omnem illam proſcribere conati. ⊖ſo cachinno pathologiam ſalſam exceperunt; ſed me experientia docuit,

cuit, non omnia eſſe vana, immanes cruciatus rheumaticos conquieuiſſe, cum puſtulæ paucæ erupiſſent, aut non multa humiditas impoſito topico euocata fuiſſet.

§. XII.

Quod ad cauſas pertinet, quibus illæ cacochymiæ in corpore enaſcuntur, poſſunt quidem aliquæ enaſci ab aſſumtis exceſſiua qualitate aliqua præditis, vt, qui ſemper aut plurimum victitant carnibus ⊖itis fumo induratis, piſcibus talibus, braſſica muriatica, ceteris, acrimoniam humorum colligant, aut nutrimento pleno viniſque dulcibus aromatibusque multum dediti, biloſos, acres & 🜍nereos humores acquirant, quod & climatum conſideratio ad oculum probat & confirmat.

§. XIII.

Sed non parum facit excretionum defectus aut exceſſus, vt, qui non debite difflant humidum, pituitoſi fiant & ſimul vappidis humoribus ⊖ibusque variis muriaticis aut bilioſis pro accedente victus vitio abundent, aut qui nimium excernunt ſubtiles humores, craſſiores, mucidas 🜃eſtres retineant.

§. XIIII.

Quin ab extra per contagium minima halituoſa miasmata in morboſorum corporibus ſpecificata & ſubtiliſata ad nos perueniunt, perque 🜁em ori, faucibus, pulmonibus inferuntur, vel per poros in ſuperficie corporis ſe inſinuant, quæ deinceps vniuer-

vniuerſam noſtrorum humorum maſſam celerius vel tardius peruadunt eamque in ſimilem corruptionem abripiunt & perducunt, aliqua etiam immediate humoribus communicantur per ſcalpellum ſcarificatorium aut phlebotomum infectum, qua via integras ciuitates fuiſſe morbo impletas non inauditum eſt, patetque exemplo luis Morauiæ vrbi Brunnæ anno 1577. illatæ.

§. XV.

Sed ad ſingulorum humorum vitia conſideranda oportet progredi, nimirum illorum, qui ex maſſa ſeparati ſeorſim feruntur & inueniuntur.

§. XVI.

Et bilis quidem accuſatur laborare nimia fluiditate, ſpiſſitudine ac glutinoſitate, acrimonia exceſſiua, heterogeneis.

§. XVII.

Ex nimia fluiditate fere conſequitur, vt ſit nimis diluta adeoque iners & ſcopo ſuo non ſatis faciens, talis accuſatur in hominibus temperamenti phlegmatici, ſub aëre frigidiore habitantibus, quorum humores non ſatis a nimia humiditate repurgantur & euentilantur, quique in victu quotidiano plerumque talibus vtuntur, quæ in ſuccum ▽oſum fatiſcunt eoque abundant, vt piſcibus, oleribus &c.

§. XVIII.

Atque a tali bile in tantum vitiari actiones, bilis

lis concurſum requirentes, neceſſe eſt, vt minus ſufficienter ſuccedant, tandemque cruditates multæ in corpore generentur & aluus tardior fiat.

§. XVIIII.

Contra vero ſpiſſitudo ac glutinoſitas nimia effluxum impediet, ſtagnationem eius producet & ad meatuum calculoſas incruſtationes ipſorumque calculorum concretionem viam ſternet, hinc omnes, quæ a defectu bilis notatæ ſunt, noxæ eueniunt.

§. XX.

Acrimoniam bilis inſignem ſubinde notare licet in teneris infantibus, præſertim tunc, quando difficilius dentiunt. Cognoſcitur ex magnis eorum eiulatibus iunctis cum pauoribus, ſæpe conuulſionibus epilepticis, diarrhœis omnino porraceis aut æruginoſis tam acribus, vt lintea, quibus deiectiones exceptæ fuerunt, non aliter, ac ſi ▽Fti eroſa eſſent, friabilia reddantur.

§. XXI.

Proxima cauſa huius acrimoniæ videtur eſſe bilis cum lacte ac farinaceis & pultaceis facta, in primis viis confermentatio: vnde maxima fit intenſio aciditatis. Eſt itaque hoc vitium non ſolius bilis, ſed bilis iuncta cum +do. Idem fere euenit, quando aſſumſimus dulcia fermenteſcentia, vt muſtum, vina vappida, & forte iracundia percitis ſuperfunditur bilis, vnde anxietates incredibiles oriuntur, ſubſequente deinde feroci vomitu & deiectionibus bilioſis.

§. XXII.

§. XXII.

Manifeſta ſæpe eſt talis turgeſcentia bilis ſpumoſa cum inſigni acrimonia in quibusdam epidemiis conſtitutionibus tam vernalibus quam poſt ſolſtitium æſtiuum euenientibus cum vel ſine malignitate coniuncta, vbi tamen origo non æque facile pateſcit: ſic Franconia, Vogtlandia & pars Palatinatus ſuperioris ante paucos annos impletæ erant ægrotantibus, febre ſatis acuta correptis & ſpumeam æruginoſam bilem cum ſumma anxietate euomentibus, quorum plurimi, qui vomitum vomitu curare volebant, ad patres abibant.

§. XXIII.

Supereſt itaque, vt in talibus vel 🜁is aliquam, ſed verbis non facile explicabilem indolem ſubeſſe intelligamus, vel in victu aliquid, ſed iterum ab aëre communicatum accuſemus & ſimul tranſpirationis prohibitæ vitium ſupponamus. Quod eo magis facere cogimur, quia in intermittentibus etiam febribus, vt tertianis, vbi non poſſumus non ſæpe interceptam tranſpirationem agnoſcere ac accuſare, ſubinde euenit vomendi conatus & paroxyſmi initium auſpicantur, vt præter bilem nihil eiiciatur, quod aliquoties recurrente paroxyſmo repetitur. In quo negotio videndum fuerit, an re vera multum in quauis tali conſtitutione iuuet emetica medicina & an non in aliquibus plus noceat.

§. XXIIII.

Tantoque magis conſideratione hoc dignum videtur, quo certius eſt, grauiſſimis conſtitutionibus popularibus hoc vitium bilis coniungi ſæpeque vel expugnato vel ſuppreſſo malo demum emicare, vt multi magnique obſeruatores icterum poſt epidemias conſtitutiones remanſiſſe teſtantur.

§. XXV.

Quin 🜁is in bilem ius aliquod arcanum & nondum ſatis exploratum ex eo colligas, quod aliquando icteri quibusdam epidemie eueniunt & fere eodem tempore diſparent, quod ante aliquot annos hic factum & obſeruatum fuiſſe, probe memini.

§. XXVI.

Heterogenea in bile ſunt calculi & 🜿tarea tophacea materia ductus biliares incruſtans & obſidens. Vidi & exemi tales ex mortuorum cyſtide leues & anguloſos, alios inſtar mororum aut fructus rubi ſilueſtris formatos & atro rubentes, alios magnos & integram cyſtidem explentes.

§. XXVII.

Secui aliquando ſenem hydropicum & ſpiritum frumenti inſignem potatorem, cuius cyſtis ſpithamæ longitudinem habebat, tota bile plena dilute flaueſcente & odore 🜈 referente, cumque experiendi gratia flamma admoueretur, clare ardebat.

bat. Id an magis ad acrimoniam, aut iuſtius ad heterogenea referri mereatur, cuiuslibet permitto arbitrio.

§. XXVIII.

Saliuæ qualitates vitioſæ ſunt in conſiſtentia præternaturali, quando nimis tenax, viſcida & glutinoſa prouenit, quod vel in illis eſt, quibus tenuior latex fuit ſaliuatione artificiali exhauſtus, vel a copia crudorum & indigeſtorum in corpore ſuccorum coaceruata.

§. XXVIIII.

Sed & ſapor eius vitiatur, vt vel acerbus vel auſterus & ⊖ſus aut nauſeoſo - dulcis obſeruetur, de quo paſſim leguntur obſeruationes, ſeorſim icterici, & illi, qui febribus epidemicis laborant, ſæpe ſatis conſpicuum ſaporem amarum os ſibi infeſtantem ſentiunt & de eo conqueruntur.

§. XXX.

Eadem malignitate ſingulari imbuta cernitur in quibusdam rabioſis, quibus morſus a beſtia rabida fuit communicatus, vt & epilepticorum ſaliua non optima eſt, adeoque conſultiſſime exſpuitur & eluitur.

§. XXXI.

Nec raro tartarea terreſtris fæculenta ſaliuæ inhæreſcit, vnde non ſolum in ore ad dentium cum gingiuis commiſſuras concreſcit ♀ ſic dictus dentium, ſed in ipſis excretoriis ductibus præcipue

ſublingualibus enaſcuntur duri magni calculi, remouendi exciſione. Quod quidem vitium a generali humorum lenteſcentia & craſſitie naſci, & cum illa cohærere ſolet, quamquam etiam viſi ſunt, quibus prius ibi enatus abſceſſulus initia mali præbuit, diu effluente purulenta materia, quæ deinde in talem tophum coaluit.

§. XXXII.

Eadem labes aliquando inhæreſcit tonſillis, quæ proinde excludunt concrementa etiam lapidea in ſinubus naturalibus huius glanduloſi corporis enata, cuius exemplum legitur Ephem. Nat. Cur. Cent. 5. obſ. 48. p. 302.

§. XXXIII.

Rarius obtingit ſaliua verminoſa, quam tamen viſam ſcribunt ephem. Nat. Cur. Dec. 2. an. 4. in append. p. 195.

§. XXXIIII.

Liquoris gaſtrici & pancreati ſucci, vt & laticis inteſtinalis vitia qualitatis, quia ſenſibus non facile explorantur, magis cogitatione colligere, quam cum certitudine deſignare licet. Aliquando tamen vomitu ſpontaneo eiicitur aliquid, quod de ventriculi & primarum viarum prauis ſuccis teſtatur.

§. XXXV.

Syluius in ipſis accuſat nimiam +ditatem, ⊖ſedinem muriaticam, auſteritatem, glutinoſitatem, permix-

permixtionem cum pure in vlceratis partibus generato, adeoque impuritatem: ſed hoc facit timide & ſubdubitanter, neque audet determinare, quantum his ſuccis & adſumtis, cum quibus miſcentur, præciſe debeatur. Interim hinc deducit multorum phænomenorum ætiologias, quas nec prorſus repudiamus, nec tamen tuto adſumi poſſe exiſtimamus.

§. XXXVI.

Veroſimile eſt, poſſe etiam hæc menſtrua corrumpi, cum vniuerſa humorum maſſa corrupta ſit, & forte amplius, quam intelligimus, vitiari, in epidemiis morbis, vnde in dyſentericis præcipue proueniunt admodum clara documenta acerrimæ cauſticæ & erodentis indolis, ſed via eſt nimis præcluſa experimentis ſufficientibus.

§. XXXVII.

Seminis vt & ſemini ſimilis humoris proſtatarum vitia in qualitate ſunt, quando vel iuſto dilutiores ſunt hi humores, vel ſpiſſiores & viſcidi, vel ſemen coagulatum grumoſum eſt ab acido ſui generis venereo, vel prorſus eroſiuum acre & exulcerans, iterum a virulentia ſui generis maligna.

§. XXXVIII.

Singulare eſt, quod plures auctores annotarunt, ſeminis flatulentiam dari, vt prorſus in crepitus flatuoſos reſolui videatur.

§. XXXVIIII.

Et ſeminis quidem nimiam fluiditatem, aquoſitatem, & inertiam vides accuſari in illis, qui valetudinarii imbecillesque ſunt, adeoque ex ſua parte ſterilis matrimonii cauſa habentur allegaturque cauſa eius temperamentum frigidum humidum, victus tenuis, imbecillitas corporis, ſenium.

§. XXXX

Contra vero viſciditas nimia in cholericis & ſiccioribus accuſatur, qua impeditur illa quam priſci neceſſariam iudicabant, ſeminum ab vtroque coniuge immiſſorum intima commixtio & coniunctio ipſaque etiam excretio tardior reddatur, vt non poſſit tempeſtiue emitti & cum illo, quod altera pars eiaculata eſt, eodem tempore concurrere & coaleſcere, quod ſupponit priſcam theoriam de conceptione, a qua hodie ſatis longe diſceſſum eſt.

§. XXXXI.

Eroſiua ad ſtatum vlceroſo - inflammatorium vsque acrimonia, tam liquoris proſtatarum, quam ipſius ſeminis, nimis manifeſta eſt in infectionis venereæ principio, vbi exſtillat humor male olens, male coloratus, vrethram & præputium arrodens & quaſi amburens.

§. XXXXII.

Atque hæc talis acrimonia cum reliqua vitioſitate vix aliter niſi ob infectionem actualem ſuſcipitur & per gradus ſuos in corpore diſſeminatur

natur & diffunditur, adeoque prorſus eſſe ſui generis apparet.

§. XXXXIII.

Sed benignior, quamuis fere pertinacior, eſt illa materiæ ſeminalis corruptio in mulieribus, quæ fluorem album conſtituit, vbi ex lacunis proſtatarum muliebrium & vaginæ effluit materia inſtar albuminis ouorum lenta, tenax, viſcida, aliquando ſpecifice olens, & ad flauedinem vel viride inclinans, nec acrimoniæ expers, & per contagium facile etiam propagabilis.

§. XXXXIIII.

Patiuntur quidem feminæ etiam fluorem album malignum ad gonorrhœam virilem proxime accedentem, ſed in ipſis facilius plerumque edomatur feracia illius habetque conſpicua ſigna, quod in illum, qui benignus audit, abeat, ipſiusque indolem ſeipſa peiorem reddat.

§. XXXXV.

Scaturigo huius materiæ videtur altius repetenda ipſique ſimul vtero attribuenda, in quem ſe ſucceſſiue propagat & penetrat, non ſecus ac in viris contagium, vrethræ principio primum inhærens, ſenſim aſcendit vsque ad ipſas ſeminales veſiculas, imo teſticulos.

§. XXXXVI.

Et in vteri quidem ceruice notabiles ſunt inter

valuulas Morgagnianas crebro obuiæ veſiculæ, quas Nabotius pro ouario habuit & in ſterilibus non occurrere animaduertit. Videntur eſſe folliculi, pleni materia tenaci lubrica, qua opus eſt in impraegnatis claudendo vtero. Hac excretione præternaturaliter aucta videtur primo oriri ſimplex fluor albus, qui in illo ſuo ſtatu, coryzæ in multis conuenit. Accedente vero infectione ſpecifica venerea, altius ea hic inſidet & difficillime penitus eiicitur ac proſcribitur, niſi ſpecifica antiuenerea catarrhalibus rite iuncta diu adhibeantur.

§. XXXVII.

Indoles illa venerea coagulatiua, ſi non corrigatur & auferatur, hecticum & œdematoſum inducit ſtatum, eo, vt mihi videtur, quod lympham in illis partibus ſtagnantem, tandem ſubſiſtere facit & vaſa perrumpere.

§. XXXVIII.

Antequam hinc diſcedamus, adiiciam, quod in viris obſeruaui & vidi: dari gonorrhœam, quam ſpuriam dicas, vbi materia alba, prorſus, vt apparet, ſeminalis, non ex vrethra prorumpit, ſed circa coronam glandis, forte ex illis glandulis, quas Tyſonianas vocamus. Vidi & curaui talem, qui antea vſus empirico externo remedio circa medium penis, in dorſo eius, ſentiebat ſibi exoriri dura corpuſcula, tria, mobilia, quæ increſcebant penemque inſtar litteræ C incuruum verſus abdomen reddebant, tandem effluxu poſt magnum laborem

borem reſtituto illa tumefacta corpora diſparebant & fluxus etiam reuertebatur. Certe ſcio, quod ex vrethra non effluxerit materia, nam cum rediret ille fluxus, ſubſequebatur prementis digiti tactum & oſtendebat tenuiſſima, per quæ effluebat, foraminula.

§. XXXXVIIII.

Lac cum ſit quaſi frater ſanguinis, & ex eo, depoſita in mammarum glanduloſa ſubſtantia rubedine ſua, naſcatur, facile cogitari poteſt, ea vitia, quæ lymphaticæ & ſeroſæ ſanguinis parti inhæreſcere ſolent, in lac facillime tranſire indeque ad lactentes poſſe propagari, quod idem docere poteſt medicinarum efficacia, quæ ex corpore nutricis in tenerum infantem transfunditur.

§. L.

Adeoque humorum totius maſſæ deprauationes ſeu cacochymiæ in lacte etiam obueniunt, ſed præter hæc ſeorſim notatur lactis in conſiſtentia vitium, quando coagulatur in caſeoſam aut grumoſam ſpeciem, quod vitium græci θρόμβωσιν nominant. Oritur vel ab interna acida aut quacunque alia coagulatiua cauſa, vel ab exterius adueniente, vt refrigeratione improuida, topicis incongruis. Maximum præiudicium nutrici ipſi affert & tumoribus ſcirrhisque producendis valet.

§. LI.

Lacrymarum notata eſt acrimonia ⊖ina alumi-

 noſa,

noſa, quæ eo vsque proceſſit, vt in ipſo oculo ſub palpebris, & in palpebrarum marginibus cryſtalli ⊖ini copioſe enaſcerentur, quem euentum adnotauit atque deſcripſit exc. D. Schaper, Prof. quondam Roſtochienſis in epiſtola de lippitudine cryſtallifera 1704. edita. Alia etiam teſtimonia de acrimonia lacrymarum valde moleſta & noxia apud veteres & recentiores abunde multa exſtant.

§. LII.

Rariora vitia ſunt, quando lacrymæ verminoſæ, lacteæ ſeu chyloſæ itemque ⊡æ ſimiles profluxiſſe notantur.

§. LIII.

Pituitæ narium conſiſtentia læditur, vt ſit nimis tenax aut viſcida & craſſa, quod in aliquibus videtur, quibus propterea in cauitatibus illis, quæ in nares hiant, ſubſiſtit ibique mora vlterius corrumpitur, vnde ſæpe pendent ſæuiſſimæ & diuturnæ cephalalgiæ, quæ ſubinde ad rabiem exacerbantur. Obtingit inſtar corii tenax & altera parte ad ſenſum ſicca, quæ vix a lateribus diſcedit. Aliquando in calculoſam duritiem coit, ſub quo ſtatu plerumque ſenſus odoratus valde imminuitur.

§. LIIII.

Aliquibus nimis diluta eſt cum conſpicua acrimonia: memorantur, quibus inſtar lymphæ diaphana tenuis inſtar hæmorrhagiæ narium profluxit. Minor

nor quidem, ſed ſatis tamen notabilis eſt tenuitas in grauedine & coryzæ initiis & progreſſu, vbi ſæpe tanquam purulentæ ſtriæ immiſcentur.

§. LV.

Legitur etiam prauo & intolerabili odore infecta, quod vix aliunde, niſi ab vlcere interiora obſidente profluit.

§. LVI.

De cerumine aurium dictis §. XXXXI. vix habeo, quod addam, niſi quod & hoc induretur & concreſcat in duritiem quaſi lapideam illis vtique, quorum vitæ genus facit, vt inter puluerem multum continuo verſentur, vnde fit, vt ætate ingraueſcente auditus deprauetur.

§. LVII.

Mirum eſt, quod a Schenckio obſ. lib. I. pag. 192. adfertur liquoris limpidi ad lib. VIII effluxum notatum fuiſſe. Pus effluens de abſceſſu, ſæpe ipſius cerebri, & hæmorrhagia, de læſione continui & extrauaſatione ſanguinis in cerebro teſtantur & ſæpe euentus hi vitam hominis conſpicuo fructu ſeruant.

§. LVIII.

In trachea & bronchiis ſecerni ſolitum liquidum conſiſtentia & qualitate læditur iisdem fere modis, quos in narium pituita vidimus. Spiſſeſcit nimium, adeoque ſub laborioſa tuſſi eiicitur materia

instar

inſtar pultis ſpiſſa, aut inſtar viſci tenax, ſæpe cum ſumma difficultate & ſuffocationis metu.

§. LVIIII.

Aliquando parum & nimis liquidum cum inſigni acrimonia ibi excernitur, quod titillationem affert tuſſimque excitat, qua ſi emoliti aliquid ſumus, ſurſum tamen ad glottidem relatum continuo relabitur.

§. LX.

Si viſcidum tenaxque cum pulueruleuto miſcetur diuque ſubſiſtit, in veram calculoſam duritiem vna abeunt: vnde non ſolum Galenus, verum etiam ex veteribus & recentioribus alii commemorant, calculos tuſſi excretos. Vidi in viro decollato totam arteriam aſperam cum bronchiis tamquam luto tenaci obductam: hunc continuo nicotianæ pulueris abuſui deditum cognoui, ſed forte ad facilius illabendum pulueri parauit viam oſſeſcentia cartilaginum fere omnium laryngis, quam in hoc viro 40. ann. non ſupergreſſo valde mirabar.

§. LXI.

Mucilago glandularum Hauerſianarum, quæ articulos lubricos reddit, atque muſculorum tunicas & interſtitia perfluit, ſæpe tenax & quaſi gelatina coagulata deprehenditur, vnde rheumatiſmi & arthritides, cum tempore etiam anchyloſis euenit.

§. LXII.

§. LXII.

Videtur eo quidem facere quidquid ſubtiliorem humorum noſtrorum partem exhaurit, vt venus nimia & intempeſtiua, ſed & non parum attribuit abuſus ⏜oſorum coagulantium, itemque frigus diu perpeſſum.

§. LXIII.

Si iſti mucilaginoſitati tenaciori inſuper accedit ⊖ina acrimonia irritans, longe facit omnia grauiora, at ſi iſta eſt 🜂lis & mobilis indolis, fit arthritis vaga ſcorbutica, quin aliquando ad eroſiuum vsque gradum illa adſcendit & vlcerationes in articulis producit. Quin ♀ea 🜃ſtris humoris huius indoles ſe prodit in tophis podagricorum.

§. LXIIII.

Sudoris vitia in qualitate ſunt, quando ſanguineus aut bilioſus fertur, aut magno cum fœtore prodit. Colliquatiuus etiam manifeſte deprehenditur, ſaltem in aliquibus mucilaginoſus, ſed ſanguineus pendet vel a ſanguinis deprauata craſi ſcorbutica vel a viarum laxitate & impulſus vehementia, color flauus & fœtor de ſanguinis deprauatione teſtantur & non raro victus vitio innituntur, colliquatiuus a calore febrili, omnem pinguedinem colliquante, talis redditur.

§. LXV.

⊡æ vitia qualitatis valde ſunt multa & conſpicua, ex quibus medici tanquam tot ſignis in depra-

uationis

uationis maſſæ humorum cognitionem deducuntur.

§. LXVI.

Vidi in ſene Iudæo octogenario maiore lotium tam viſcidum & tenax, vt inſtar albuminis ouorum traheretur. Prodromus hic erat diabetæ ſeu fluxus ⊡æ colliquatiui & vltra modum aucti, qui mox ſubſequebatur.

§. LXVII.

⊡ fertur multis ſæpe heterogeneis permixta, vt ſanguine, arenulis & lapillis, pure, ſemine, vermibus, pilis.

§. LXVIII.

Sanguis cum ⊡ delatus facile cognoſcitur, cum, etiamſi ſincerus effluxit, quamprimum refrigerata eſt, interfluant filamenta, non ſecus ac in ▽, cui pedes immerſi fuerunt, dum ſanguis ex vena inciſa profluebat. Magna pars ſubſidet & in coagulum filamentoſum abit, ſerum autem rubedinem indicit.

* Diſtinguenda ⊡ ſanguinolenta a rubedine ſaturatiori tincta: qualem in quibusdam viſam commemorant ab eſu fructus opuntiæ, nec non vſu rhabarbari, croci & decocti rubiæ tinctorum.

§. LXVIIII.

Sanguis ille extrauaſatus vel in rene vel vreteribus vel veſica admixtus fuit ibique teſtatur de

quadam

quadam vel anaſtomoſi, vel ſolutione continui, quæ a variis cauſis poteſt produci, de quibus ſuo loco.

§. LXX.

Arenulæ & lapilli teſtantur de minera lapidaria intus, & plerumque in renum pelui, conſiſtente. Locum denotant ſigna coniuncta.

§. LXXI.

Calculoſam autem in nobis mineram proxime facit abundantia ♀ei muci, vnde concrementa ſabuloſa primum fiunt & deinde per continua augmenta accreſcunt.

§. LXXII.

Sed eodem facere victum extra controuerſiam poſitum eſt docentque regiones diuerſæ, quarum vna præ altera maiorem habet calculorum prouentum. Quin hæreditaria etiam diſpoſitio incredibilem hic vim habet, vt obueniant paucarum hebdomadarum infantes iam calculo obnoxii.

§. LXXIII.

Pus ⊡æ permixtum fertur, quando in renibus vel veſica abſceſſus factus eſt: ſique tales abſceſſus inteſtina ſimul corripuerunt, quod prægreſſis vulneribus aliquando accidit, fieri poteſt, vt cum lotio permixtæ dilutæ fæces ex inteſtinis prodeant, ſunt quoque obſeruationes, quæ fidem faciunt, pus per lotium eductum fuiſſe in ſuppuratis in pectore: vbi fateor, difficillime cogitari vias poſſe, per quas illuc deuenerit.

§. LXXIIII.

Semen ⊡æ immixtum videtur in gonorrhœa tam benigna quam maligna: idque pro eo ac ipſum ſemen eſt, vel corruptum vel naturali magis ſimile prodit. Sub nomine autem ſeminis etiam ſimul hic complector humorem ſemini ſimilem proſtatarum. Finiente iam gonorrhœa, quaſi fila alba ⊡æ innatant: quæ, quo magis ſemen ad conſiſtentiam naturalem redit ipſique pori excretorii iterum conſtringuntur, tenuiora euadunt ſenſimque penitus diſparent.

§. LXXV.

Vrinæ verminoſæ nouiſſimum exemplum idque valde notabile legitur in commercio litterar. phyſico-med. Norimb. An. I. p. 211. ſeqq. ipſemet vidi vermem millepedi per omnia ſimilem, quem ruſticus cetera validus cum ſummo dolore reddiderat cum ⊡, alii alios vermes notauerunt, quæ res maiorem meretur porro conſiderationem.

§. LXXVI.

Pili cum ⊡ redditi viſi ſunt, i. e. filamenta mucoſa piliformia; bis illum affectum, qui trichiaſis dicitur, vidit B. D. Io. Maur. Hoffmannus, de quo ſcribit in diſquiſitione corporis humani anatomico-pathologica p. 80. quo loco plura etiam citantur exempla. Cauſa huius affectus deriuatur a victu craſſo indeque mucida tenaci & viſcida reddita ⊡. Quid vero abſurdum erit dicere, veros pilos obſidere ſuperficiem veſicæ aut

vrethræ

vrethræ, quemadmodum viſi ſunt, quamquam rariſſimi, vteri intus piloſi.

§. LXXVII.

Atque hæc de qualitate humorum vitioſa ſufficiant dicta. Progredimur ad vitia humorum in motu tam progreſſiuo, quam inteſtino.

§. LXXVIII.

Sanguis & ex eo ſecreti humores poſſunt vel iuſto celerius circumagi, vel tardius & remiſſius, vel particulatim in vno loco ſtagnare aut penitus ſubſiſtere: videtur etiam totus motus progreſſiuus ad tempus ſuſpendi & omitti.

§. LXXVIIII.

Sanguis ſæpius mouetur celerius ex variis cauſis, quarum conſideratio nos adiuuare poterit ad inueniendam morboſæ celeritatis indolem & rationes. Sic aſſumta ſpirituoſa, calida, aromatica, volatilia, certa medicamenta, vt crocus, ambra, certi odores expanſiui, porro motus corporis intenſior atque diuturnior, affectus animi, præſertim prioribus prægreſſis & concurrentibus, 🜁que ambiens expanſiuus & calidus motum ſanguinis ſenſibiliter intendit, idem faciunt medicamenta ſtimulantia & irritantia, ſiue ſint per os aſſumta, ſiue exterius adhibita, vt rubefacientia, veſicatoria &c.

§. LXXX.

Fieri vix poteſt, vt in nobis vel fluidorum ra-

tiones mutentur, non alterato ſimul ſolidorum ſtatu, vel ſolida afficiantur, non ſimul affectis inde & concitatis fluidis, adeoque celerioris motus humorum progreſſiui cauſæ vel in ſolidis, vel in fluidis, vel vtrisque ſimul inquiri debent.

§. LXXXI.

In fluidis quidem tenuitatem & ad motum facilitatem, vel præſentem vel redditam, itemque expanſionem per calorem aut aliam quamcunque cauſam inuenire licet. Quid ſit ex parte ſolidorum, nondum quidem huius loci eſt, vt per ſingula eundo exponamus, illud tamen manifeſtum eſt, quod, quo plus ſanguinis cordis fibras muſculares ſubit & replet, eo maiorem vim in propellendo humores eæ exerceant, ex quo ictus & celeriores & intra datum tempus frequentiores enaſci neceſſarium eſt.

§. LXXXII.

Creditur autem, ipſam humorum acrium ⊖ium copia repletorum qualitatem, ſolida ſenſibilia ex ſtimulantem, ad crebriorem & fortiorem contractionem ea inſtigare: quod probari poteſt exemplo purgantium, ⊖inorum, veſicantium, quæ ſæpe vix corpus noſtrum ſubierunt, quando iam intenſior & celerior humorum circuitus ſentitur.

§. LXXXIII.

Tardioris progreſſus rationes fere contrariæ ſunt prioribus conſideratis redeuntque ad ea, quæ humores

humores immobiliores faciunt, quæque vim mouentem ſupprimunt aut vias conſtringunt.

§. LXXXIIII.

Humores immobiliores ſunt ſpiſſi, tenaces & diluente portione ſeri quocunque modo orbati, ſiue victus prauus tales reddiderit, ſiue quæcunque alia cauſa neceſſarium ſerum detrahens aut exhauriens.

§. LXXXV.

Atque talis ſanguis ad ſtagnationem procliuis eſt, quo ſi accedat cauſa, fibras neruoſas fortius contrahens & ab illis durabilior ſpaſmus oriatur, omnino etiam ſtaſis euenit, quam cito pede ſubſequitur eiusdem corruptio ſphaceloſa.

§. LXXXVI.

Sed & ſtaſin inducere valet magnæ repletioni accedens humorum inſignis expanſio, quæ omnia vaſa ſat antea tenſa, amplius & vltra proportionem virium ad contractionem renitentium expandit. Quod ſi fiat etiam in illis partibus & viſceribus, vbi tenerrimorum vaſorum copia eſt, & liberum expandendi ſpatium negatur, tanto certius ibi ſtaſis plenaria abſoluitur, & ad grauiſſima & extrema celeriter peruenitur. Multum etiam ad hunc euentum contribuunt frigus actuale a potu gelido copioſe ingeſto, aut a medicamentis profunde adſtringentibus inducta vaſorum minimorum contractio.

§. LXXXVII.

Ad motus inteſtini vitia pertinet ille ſtatus iam modo commemoratus, quando per aſſumta ſpirituoſa vaporoſa in orgaſmum ſeu turgeſcentiam ſanguis redigitur, vt amplius naturali ſpatium requirat & occupet: ſed longe magis vitioſa eſt iſta turgeſcentia, quando intus ſuſcepta miaſmata halituoſa illam excitant, ex qua cauſa ortam illico comitatur aut ſubſequitur virium ſumma proſtratio, anxietas, trepidatio: quando autem a quacumque cauſa ſtaſis ſanguinis reflui exorta eſt, affluente nihilominus arterioſo, facilis eſt tranſitus in ſphacelum ſanguineum, celeri progreſſu ſemet multiplicantem & ad proxima quæque proſerpentem.

§. LXXXVIII.

Quæ ratione viarum & meatuum ſint progreſſus prohibiti cauſæ, ſuo loco inter malæ conformationis vitia ſeorſim conſiderabitur.

§. LXXXVIIII.

Humores loco peccant, quando penetrant, quo non debebant, quod vocatur extrauaſatio, quæ diuerſa nomina ſortita eſt vocaturque ἐκχύμωμα θρόμβωσις; ſed cum accidere hoc vitium ſine læſione continui non poſſit, illius etiam conſiderationem ſuo loco reſeruamus.

SECTI

SECTIO III.

DE VARIIS MODIS, QVIBVS PARTES SOLIDÆ VITIANTVR.

§. I.

In partibus ſolidis ſiue firmis occurrunt illa vitia, quæ vocantur organica, quæque tam in ſtructura, quam corporatura vitiata conſiſtunt.

§. II.

Vitia ſtructuræ organica iam olim ſatis recte diuiſa ſunt & reuocantur ad 4. claſſes, quarum 1. complectitur malam conformationem in figura, cauitatibus, meatibus & ſuperficie: 2. magnitudinem deprauatam: 3. numerum indecentem: 4. ſitum inconuenientem.

§. III.

Mala conformatio in figura tunc demum vitioſa habetur, quando partis figuratio ſic deprauata eſt, vt inde actioni inferatur vitium, e. g. quando ſpina dorſi vel introrſum vel extrorſum intorta reſpirationem & liberum ſanguinis circulum impedit, quando oſſa tibiarum curuata ſunt, vt inceſſui officiant.

§. IIII.

Mala conformatio in cauitatibus & meatibus dicitur,

citur, quando vaſorum meatus & viſcerum caua vel nimium dilatantur, vel plures aperiuntur, vel anguſtantur & occluduntur, quæ ſingula vitia ſeorſim conſiderabimus.

§. V.

Pertinet huc primo anaſtomoſis, vbi meatus & orificia vaſorum plus æquo dilatata dehiſcunt, e. g. quando in tunica narium pituitaria vnus vel alter ductus excretorius, qui ob naturalem anguſtiam nil niſi ſerum pituitoſum pro narium humectatione vehebat & transmittebat, ſanguinis appellentis vi dilatatur, vt vsque ad extremum eius cruor progrediatur & effluat, idque non ſolum fieri in naribus, ſed & alia quacunque parte poteſt & ſolet; atque hæc eſt hæmorrhagiarum ſpontanearum & naturalium ordinaria cauſa.

* Ductus illi extremi ſunt ab arteriis adeoque in hæmorrhagiarum ætiologia ad has potius quam ad illas reſpiciendum eſt.

§. VI.

Alia ſpecies eſt, quæ vocatur diapedeſis, quando per tunicarum plus iuſto expanſarum adeoque rarefactarum poros contenti humores quaſi transſudant & effluunt, hæcque communiſſima eſt origo omnium œdematum.

* Tam hoc, quam præcedens vitium tantum eſt in exceſſu, ſeu nimio, habetque ſuum in ſta-

tu

tu naturali fundamentum ad eundemque reuertitur res, ſublato exceſſu. Atque hinc fit, vt in aliquibus dubium ſit, magisne ad naturalem, quam ad morboſum ſtatum referri debeat, e. g. hæmorrhagia narium, menſes, lochia; pariter ſe res habet in œdematibus. Fiunt vtique a transſudante lympha. Sed & in ſtatu naturali lympha transſudat per venas repletas, verum non confertim, ſed admodum lente, vt ſe diffundere per celluloſa membranarum interſtitia & in pinguedinem cogi poſſit. Ex illa autem, quæ confertim accidit, transſudatione, œdemata, hydrops anaſarca, leucophlegmatia naſcuntur.

§. VII.

Diuerſum ab his vitium, quod pariter hæmorrhagias producit, eſt diæreſis, quando vaſorum meatus quouiscunque modo patiuntur ſolutionem continui, vt contenta effluant per portam toto genere præternaturalem. Fit hæc a quacunque cauſa interna diſtendente, erodente, exulcerante. Huius exemplum præbent hæmorrhagiæ ſcorbuticorum, vbi ſanguis absque vllo prægreſſo orgasmo aut concurrente effluere incipit, non ſolum per nares, ſed ſæpe per os, gingiuas, vuuulam ipſosque pulmones, quod arguit acrimoniam ſcorbuticam, item hæmoptyſis a congeſtione & oppletione diſtenſiua & vaſa perrumpente.

§. VIII.

Eædem cauitates cum meatibus patiuntur prio-

 ribus

ribus contraria vitia, traiectum humorum ſufflaminantia & prohibentia, vt 1. coalitum, quando latera primum inflammata & exulcerata coaleſcunt, quod fit in vagina vteri aut vrethræ. Secundum vitium compreſſionem ab incumbentis corporis mole adaucta, vt glottis, a muſculis laryngis inflatis & tumentibus; aut vaſa meſenterii & hepatis ab incumbentibus glandulis tumefactis. 3. Conſtipationem, quando ſpatium internæ alicuius cauitatis a re dura innata, aut adhærente vel inhærente oppletur, vt fæces induratæ in inteſtinis itemque calculus inteſtinis innatus, aut moneta deglutita in pyloro obhæreſcens, 4. ſpaſmodicam fibrarum contractionem ab interna cauſa aut exterius aduentante inductam; ſic impeditur deglutitio ob ſpaſmum œſophagi, contrahuntur inteſtina ab adſtringente profundius penetrante. 5. Obſtructionem, quando meatus vaſorum ab humore concreto tenaci coagulato occluduntur, e. g polypus maior in vaſe, pituita lenta & tenax in pulmonum bronchiis.

§. VIIII.

Malæ conformationis vitium tandem etiam eſt in ſuperficie præternaturaliter conſtituta, vt quando tunica laryngem inueſtiens aſperitate & inæqualitate ſua raucedinem facit, manus fiſſuris, verrucis, callis aſperantur.

§. X.

Magnitudinis præter naturam auctæ exempla

ſunt

ſunt in anaſarca, hydrocephalo, omnibus tumoribus: imminutæ, in atrophia totius corporis, vel particularis cuiusdam membri.

§. XI.

Numeri vitium eſt, ſi qua pars aut partis analogum abundat aut deficit cum actionum manifeſta læſione; exempla præbent hermaphroditæ, caſtrati.

§. XII.

Vitia in ſitu ſunt, quando partes cum vicinis, quibus continuæ vel contiguæ eſſe debebant, male cohærent, exempla ſunt luxata, procidentia vteri, ani &c.

§. XIII.

Morbi ſolutæ vnitatis ſunt vulnus, vlcus, contuſio, fractura, ruptura, caries.

§. XIIII

Vulnus eſt ſolutio continui cruenta; vlcus, purulenta; fractura oſſibus competit, habeturque ſimplex, eaque vel transuerſa, vel obliqua, vel longitudinalis, quæ fiſſura audit & contrafiſſura: vel multiplex, ſi os in multas particulas confringitur cum fruſtulis, ſquamulis, vel omnino comminuitur.

§. XV.

Contuſio eſt ſolutio continui citra manifeſtam partium externarum diuiſionem, quamuis aliquando ea etiam adeſt, ſcilicet quoties cum contuſio

ne vulnus coniungitur, quo caſu ſæpe etiam fractura coincidit.

§. XVI.

Ruptura eſt ſolutio continui in partibus mollibus, præcipue cauis, a contentis partem cauam nimis expandentibus, aut grauiori corporis niſu, per fibrarum membranacearum vel carnoſarum ſolutam vnitatem introducta.

§. XVII.

Caries eſt ſolutio continui leuior in oſſibus: eiusque ſpecies ſunt ſpina ventoſa, quando interior oſſis ſubſtantia, & quidem durior eius pars, quæ diaphyſis dicitur, ab interna cauſa intumeſcit, corrumpitur, exulceratur, & pædarthrocace, quando in infantibus vel pueris capita oſſis circa articulationem talia patiuntur. Cariei conſectaneum fere eſt exoſtoſis, quando ex oſſis ſubſtantia aliquid præter naturam excreſcit: quo nomine etiam ad vitia auctæ magnitudinis pertinet.

§. XVIII.

Ad malæ conformationis vitia iure etiam referuntur vitioſæ coniunctiones & disiunctiones partium, vt digitorum cum digitis, palpebrarum cum oculis, itemque labia leporina.

§. XVIIII.

Vitioſarum conformationum quædam quaſi congeries eſt in monſtroſis partubus atque iis, qui per matris phantaſiam miro ſæpe modo a ſtatu naturali

turali peruertuntur: de quo integri doctorum virorum libri exſtant.

SECTIO IIII.

DE VITIIS TEMPERIEI.

§. I.

Multi ſunt veteres in accuſanda intemperie, quam tantopere æſtimabant, vt eſſentialem morborum differentiam inter alia in ſuperioribus enarrata primam dixerint, in qua temperies læſa animaduertitur.

§. II.

Intemperiem vocabant vnius pluriumque qualitatum, aut in toto corpore, aut in aliqua tantum parte, notabilem exceſſum, manifeſtam læſionem actionum inferentem.

§. III.

Supponit hæc doctrina illam, quæ phyſiologiæ eſt, de temperamento iuſto tam corporis totius, quam ſingularum partium: quæ tota res, vt a veteribus explicatur, redit ad corporis mixti conſiderationem, quam hodie minus attendi, plusque ſtructi rationem haberi, ſupra iam monui.

§. IIII.

Hiſtoriæ autem cauſa oportet illa repetere prius, deinde

deinde videre, quantum applicari & retineri cum recta ratione poſſit.

§. V.

Intemperiem vel vniuerſalem docebant totius corporis, vt in febre hectica conſummata; vel particularem, vt in inflammatione hepatis, oculi &c.

§. VI.

Dari intemperiem, docebant, ſine materia, aliam cum materia, e. g. quando tempore hyberno algemus & torpemus a frigore perpeſſo, aut æſtate æſtuamus, ſi diu calorem radiorum ſolarium admiſimus, hoc erat intemperies ſine materia; ſi vero calor vel frigus ab interna cauſa, humorum ſcilicet dyſcraſia, pendet, hoc erat intemperies cum materia.

§. VII.

Atque intemperies cum materia triplex ſtatuitur 1) calida & ſicca ſeu cholerica, 2) frigida & humida ſeu phlegmatica, 3) frigida & ſicca ſeu melancholica: quibus aliqui addunt, 4) calidam & humidam ſeu ſanguineam, quam & plethoricam vocant vel athleticam.

§. VIII.

Intemperiei cuiusque cum materia cauſam deſignabant certam humorum dyſcraſiam, vt in phlegmatica prædominantes accuſabant chyli & lymphæ lentas, glutinoſas, crudiores, +do-viſcoſas portiones, quæ ∿oſas ſupprimant, & ſegniorem motum

motum habeant: in cholerica 🜍eo-🜔inas acriores & ſubtiliores, celerrimo motu agitari ſolitas.

§. VIIII.

Apparet ex dictis, quod cauſæ intemperierum cum cacochymiis ſupra expoſitis conueniant: effectus autem cacochymiarum ſint intemperies.

§. X.

Cum vero recentiores auctores non videant, quomodo qualitas humoris per ſe poſſit aut calorem aut frigus producere, absque eo, vt præuia ſit alterata ſolidorum conditio & ſtatus: intelligantque frigus in nobis oriri ab intercepto ſanguinis calidi influxu: calorem a motu celeriori, crebriorique particularum, quæ maſſam humorum conſtituunt, ad ſe inuicem attritu & coagitatione: intelligantque clare denegatum influxum æque ac auctiorem eundem pendere a ſolidis; conuerterunt animum & cogitationem potiſſimum ad ſolida. Neque tamen negant, re vera præſentes fluidorum a craſi ſua naturali aberrationes in ſolida aliquid valere, ſed locum illis meritum relinquunt.

§. XI.

Recte autem æſtimando veterem doctrinam videtur res ad circulum vitioſum redire: dyſcraſia etiam facit intemperiem, ſed dyſcraſia & intemperies vnum idemque ſunt.

§. XII.

Quare intemperiem vt craſeos ſeu mixtionis vitium,

tium, ex ſe alia vitia producens, admittere licet, ſed tanquam eſſentialem morborum differentiam ſtatuminare eam, hoc cum recta ratione vix poteſt congruere, præſertim cum multi temperiei morbi occurrant, vbi calor & frigus, tanquam contrariæ dyſcraſiæ per vices ſibi ſuccedunt, vbi vnius eiusdemque maſſæ vitio mixtionis tam contrarios effectus tribuere vix quisquam audebit.

§. XIII.

Cum veteres morbos vniuerſum corpus obſidentes ad intemperiei genus reuocauerint, intemperierumque cauſas in humorum vitiis poſuerint, laudabiles qualitates eorum peruertentibus; factum eſt, vt, morborum quorundam, vniuerſam ſubſtantiam corporis peruertentium, rationes contrarias animaduertentes, quarum cauſæ ad vnam intemperiem referri non poterant, illos reuocauerint ad morbos occultarum qualitatum, quorum ſynonymum faciunt totius ſubſtantiæ.

§. XIIII.

Atque ad tales referebantur potiſſimum lues venerea & ſcorbutus, morbi, in quibus tam multa &, vt videtur, contraria occurrunt, vt nemo vel ad ſiccitatem vel ad humiditatem, calorem aut frigus reuocare poſſit: ſed modo hoc, modo illud, & in alia parte aliud, obueniat ſibique mutuo ſuccedat.

§. XV.

Quam parum doceant, qui terminis talibus ſemet

met inuoluunt, per ſe facile patet: ſed non immorabimur his, cum notitiæ tantum cauſa adferri debuerint, neque hodie in ſcholis facile audiantur amplius.

SECTIO V.

DE MORBORVM DIFFERENTIIS ACCIDENTALIBVS INDEQVE DESVMTIS DENOMINATIONIBVS.

§. I.

Vitia corporis humani ſanam conſtitutionem peruertentia, accidentales differentias habent, quæ denominantur a circumſtantiis & attributis quibusdam externis, vt numero, loco, tempore, generatione, inuaſione, duratione, more, ætate, ſexu, cauſis efficientibus & euentu: de quibus pauciſſimis diſpiciemus.

§. II.

Vocatur morbus ſimplex, vbi tantum vnicus adeſt: compoſitus ſiue complicatus, vbi ſimul plures adſunt: vt oculi inflammatio aliquando ſola adeſt, alio tempore cum contuſione, vel vulnere, vel vlcere.

§. III.

Loci affecti intuitu morbus eſt vel vniuerſalis,

vel

vel particularis, vt febris hectica, ophthalmia, paronychia, cancer mammarum.

§. IIII.

Temporis reſpectu variæ ſunt morborum denominationes, vt anni temporis intuitu denominentur vernales, æſtiuales, autumnales & hyemales. Ipſorum morborum temporum ratione diſtinguitur principium, augmentum, ſtatus, declinatio. Vocatur quoque morbus longus vel chronicus, aut breuis, qui celeriter decurrit; quodſi celeritas cum periculo iuncta ſit, dicitur acutus morbus, isque ſtatuitur in quadruplici differentia 1) extreme peracutus, 2) peracutus, 3) ſimpliciter acutus, 4) acutus ex decidentia.

§. V.

Pro eo ac morbus generatur, dici ſolet fiens ſeu imperfectus, vel factus ſeu perfectus, recens vel inueteratus, hæreditarius vel adſcititius.

§. VI.

Ab inuaſione morbus vocatur ſubitaneus, vt epilepſia, apoplexia, vel paulatinus, vt atrophia, marasmus ſenilis. Durationis intuitu morbus in continentem, intermittentem & continuum diſtinguitur.

§. VII.

Continens morbus, qui vno eodemque motu a principio vsque ad vltimam ceſſationem decurrit & perdurat, vt febris continens ſeu ſynocha,

habetur

habetur triplex: 1) acmaſticus ſeu homotonus, 2) epacmaſticus, 3) paracmaſticus.

§. VIII.

Intermittens per interualla inuadit ægrum, atque rurſus relinquit per aliquod interuallum temporis a morbo immunem. Quodſi ordinata & certa fiat temporis ratione, vocatur intermittens periodicus, ſi nullum inuaſionis aut remiſſionis ſtatum obſeruat, vocatur intermittens erraticus, vt febris catarrhalis.

§. VIIII.

Continuus a principio ſuo vsque ad finem continuo affligit, nec vnquam prorſus ceſſat, habet tamen manifeſtas intenſiones & alternas remiſſiones.

§. X.

Redeunt autem exacerbationes præciſe fixis & immobilibus momentis, vt in febre quartana, vnde immobilis talis vocatur morbus: aut aliquibus horis prius vel poſterius accedunt, vnde anticipans & poſtponens nominatur.

§. XI.

Benignus vocatur morbus, qui non adiuncta habet alia aut grauiora ſymptomata, quam quæ indoli morbi ordinariæ conueniunt; malignus eſt, qui comites adſciuit inſolita & grauiora ſymptomata.

§. XII.

Quid ſibi velit morbus virilis, muliebris, in-

fantilis, puerilis, iuuenilis & ſenilis, ex ipſo ſtatim nomine patet.

§. XIII.

Loci intuitu denominantur morbi ſporadici, epidemii, qui & populares ſeu vulgares audiunt & endemii.

§. XIIII.

Cauſarum efficientium intuitu morbi vocantur idiopathici, venenati, peſtilentes, manifeſti, ſympathici, legitimi, ſpurii, contagioſi, occulti, quæ nomina, quid ſibi velint, conſiderandum eſt.

§. XV.

Idiopathicus eſt, cuius cauſa in parte affecta primario & principaliter peccat, vt quando vomiturimus ob malam materiam ventriculi tunicas arrodentem.

§. XVI.

Sympathicus eſt, qui vel per officii ſocietatem, vel vaſorum & neruorum communicationem, vel vicinitatem & connexionem ab vna parte alteri obuenit ac communicatur. Sic renibus male ſe habentibus, compatitur veſica [illegible]ia, ventriculo a crapula onerato, caput per conſenſum compatitur, colo inflammato aut renibus, vomimus, pleuræ inflammatio ad pulmones facile progreditur.

§. XVII.

Huc pertinet denominatio morborum implicatorum, conſequentium & connexorum. Sic im-

pli

plicati morbi ſunt pleuritis & peripneumonia,quia raro accuratiſſime dignoſcuntur amboque reſpirationis difficultatem ſimilem afferunt. Apoplexia & paralyſis ſunt conſequentes itemque viſcerum inflammatio & ſcirrhus eorum. Connexi exemplum inflammatio ſphincteris veſicæ & retentio lotii eandem conſequens.

§. XVIII.

Legitimi & ſpurii morbi denominatio quidem manet, ſed non eadem probatur denominandi ratio. Sic veteres reſpiciebant ad cauſam efficientem, quam aſſignabant cuique morbo ex humorum quaternario ſanguinem conſtituentium. In legitima itaque tertiana peccare bilem rati, ſi non obueniret morbus ordinariis accidentibus ſtipatus, ad typum tamen tertianæ accedens, alium eſſe humorem peccantem in cauſa pronuntiabant, qui minus cito, quam bilis agitaretur & exardeſceret.

§. XVIIII.

Apud nos manet diſtinctio in angina, pleuritide & quibusdam aliis denotandis, ſic illam pituitoſam, vocamus anginam ſpuriam, ſanguineam vero legitimam. Pariter pleuritidem cum magnæ inflammationis ſignis, veram dicimus, ſed lentiorem illam rheumaticam vocamus ſpuriam.

§. XX.

Contagioſus eſt, qui per contactum vel corporalem vel virtualem ab vno infecto ſubiecto in plu-

ra transferri poteſt. Priori modo propagatur ſcabies, lues venerea; poſteriori ſerpunt morbi caſtrenſes, & peſtilentiales, interueniente 🜁e, effluuiis morboſorum aut defunctorum & putreſcentium corporum repleto.

§. XXI.

Morbus venenatus, qui concitatur a veneno intus aſſumto, vel per morſum, ictum, inſtrumenta veneno imbuta propagatur. Improprie dicuntur ſic illi morbi ab interna coorti cauſa, qui aſſumti veneni æmulantur vehementiam, aut cito putredinis ſphaceloſæ progreſſu partes depaſcuntur, vt gangræna ſcorbutica.

§. XXII.

Morbus peſtilens proprie vocatur, qui ex miaſmate peſtifero, 🜁ri vel 🜄is communicato magnam hominum infert ſtragem.

§. XXIII.

Morbus manifeſtus eſt, qui vel in ſenſus cadit, vel ſignis ſuis diagnoſticis ſatis cognoſcitur, vt fractura vel vulnus: ſed occultus, qui contrario ſe habet modo, vt abſceſſus internus.

§. XXIIII.

Ratione euentus morbi diſtinguuntur in ſalutares & funeſtas ſeu lethales, curabiles incurabilesue.

§. XXV.

Et ſalutaris quidem, qui plerumque ad ſalutem

decur-

decurrit, funeſtus, qui vtplurimum ad mortem terminatur.

§. XXVI.

Curabilis eſt, qui diæta, aut medicamentis auxiliisue chirurgicis tolli & emendari poteſt, incurabilis, quem nullo præſidiorum genere vincere licet.

§. XXVII.

Morbus magnus dicitur reſpectu partis nobilioris & ſymptomatum grauiſſimorum: paruus ex rationibus contrario modo ſe habentibus. Morbus familiaris, qui hominis temperamento congruit, vt diarrhœa bilioſa in homine cholerico; minus familiaris, ſi præter temperamentum aut ætatem & anni tempus & regionis indolem contingat, e. g. ſi ſenem corriperet febris ardens, aut ſcabies humida, aut aliquis tota æſtate catarrho laboraret.

PARS II.

DE SYNDROMIS VARIORVM VITIORVM, QVÆ MORBORVM SVMMA AVT FREQVENTIORA GENERA CONSTITVVNT.

SECTIO I.

DE DOLORIBVS.

§. I.

Dolor eſt ſenſatio triſtis in partibus corporis noſtri mollibus ſenſu præditis.

* Senſu carent oſſa, cartilagines, humores & cuticula.

§. II.

Dolorem excitant, quæcunque fibras diuidunt, ſecando, pungendo, vellicando, nimis extendendo, nimis corrugando, in eodem ſtatu detinendo & nimis comprimendo.

§. III.

Ex quo intelligimus, non male dici, dolorem eſſe ſolutionem continui molientem ſeu fientem: nam quando continui ſolutio facta eſt, dolor mox deſinit, niſi diuiſæ fibræ, quatenus cum aliis ſenſi-

bilibus

bilibus connexæ ſunt, dum ab iis ſemet retrahunt, triſtem in illis excitant ſenſationem: quod maxime fit in muſculis & tendinibus ex parte tantum diſciſſis, quibus plerumque acutiſſimi dolores, ad conuulſionis periculum inhærent.

§. IIII.

Solutionis continui molientis ſpecimina ſunt in infantili, puerili & adoleſcente ætate, dentes per gingiuas tenſas difficilius erumpentes. Tenſionem facit corpus dentis in alueolo ſuo auctius factum; diuiſionem molitur dentis inciſoris aut canini acutus apex, ſuper quem tenſio illa accidit.

§. V.

Pungendo & vellicando agunt concrementa lapidoſa, in veſica vel bilis vel vrinaria enata & deſcendentia, anguloſa inæqualia: lumbrici etiam, qui ſæpe, cum efferati ſunt, tunicas inteſtinorum perforant, vt in cauum abdominis, nec raro per inguina aut vmbilicum viuis hominibus erumpant.

§. VI.

Idem notum eſt de omnibus ſcindentibus & pungentibus inſtrumentis corpori exterius admotis.

§. VII.

Quibus paria faciunt ⊖ia quædam acerrima, ipſum frigus ac calor intenſiſſimi, quorum effectus non tantum eſt ſecans & diuidens, verum etiam corrugatorius & plane mortificans: vnde,

 dum

dum a parte ſana ſeceſſio facta ſit, dolor exoritur vehemens, de quo §. 3.

§. VIII.

Vellicantem dolorem faciunt lumbrici & animalcula cetera in corpore præternaturaliter hoſpitantia, vt ranæ, bufones, lacerti, itemque feſtucæ partibus mouendis infixæ.

§. VIIII.

Nimiæ extenſionis dolorificum effectum, præſertim ſi diuturnior ſit & in eodem maneat gradu aut intendatur, docent torturæ ſubiecti diutiusque eodem poſitu, eoque magis inſolito permanentes: itemque ⊡æ ſuppreſſione laborantes, parturientes: huc pertinent quoque luxata.

§. X.

Comprimendo dolorem excitat calceus pedem nimis arcte circumdans, onus, grauiter diuque incumbens aliud corpus durum, membra noſtra arctius ſtringens, vinculum fortius adductum in corpore, inteſtinorum aliusue ductus aut canalis intus ſuſceptio. Senſationem non ſolum ipſæ compreſſæ fibræ faciunt, ſed maxime affluentes humores atque ad locum compreſſionis ſtagnantes, & effectum extenſionis inducentes. Comprimendo etiam agunt verbera & ictus obtuſis inſtrumentis inflicti, qui identidem repetiti, tandem ſolutionem continui inducunt eamque moleſtiſſimam, vtpote ſine magna inflammatione & ſuppuratione vix reparandam.

§. XI.

§. XI.

Atque harum aliqua ratio aut ſimul plures adeſſe ſolent, quoties aliqua corporis parte dolores ſentimus. Requiritur autem illa ſpecialius in pathologia ſpeciali, tantoque magis in ſpecialiſſima ſeu caſibus indiuidualibus.

§. XII.

Differentiæ dolorum variæ notantur, ſunt enim aliqui obtuſi, alii acuti & ſenſibiliſſimi, ſerrantes, pungentes, tenſiui, expanſiui & quæ plura ſunt nomina a modo percepti doloris variisque circumſtantiis impoſita.

§. XIII.

Illa diſtinctio magis ad rem facit, quod aliqui dolores ſalubres ſint magisque ad phyſiologiam quam pathologiam referri mereantur, vt quando vterus ad fœtum in lucem promouendum viasque diducendas aliqua aperitur parte & diſtrahitur, alia contrahitur; aut quando arteria mammaria externa, ſanguinem transmittere alias non aſſueta, iuſto tempore dilatanda & commeatui ſanguinis apta reddenda eſt. Huiusmodi doloribus nunquam directa curatio per anodyna debetur aut conuenit, bene autem per emollientia fibrasque relaxantia ſuccurritur aut exceſſiuus impetus contemperatur.

§. XIIII.

Alii dolores dantur, quos toto genere ſalubres

dicere non poſſis, cum tamen neceſſarii ſint, e. g. quando calculus per vreteres aut vrethram propellitur: in quo negotio fieri non poteſt, quin calculus, viam anguſtam obſidens, lotio ſibique iter obſtruat: quare via præparari debet ſucceſſiua dilatatione ductuum per quantitatem lotii ſubſequentem, qua anguſtiæ illæ extenduntur & reſoluuntur, quod ſine dolore obtineri nequit, atque in talibus eadem requiritur curantis moderatio & prudentia.

§. XV.

Doloris in partem aliquam incidentis effectus eſt, vt illa vehementer ſe contorqueat & contrahat, ex quo fit, vt durante illa contractione motus humorum in vaſis illius partis, vt & progreſſus contentorum in cauitatibus, mire turbetur & peruertatur. Quare vrgens neceſſitas ſæpe iubet ad anodyna venire, relaxantia autem & ſtricturam ſpasmodicam aufferentia inſignem afferunt fructum.

§. XVI.

Vehementia dolorum continuans & augeſcens ſpasmorum ferociam per totum genus neruoſum ſæpe propagat & extendit, vnde non raro homines toto corpore inhorreſcunt, febrem patiuntur, quin in conuulſiones graues & periculi plenas abripiuntur, aut mente alienantur.

§. XVII.

Quod tanto fit certius, vbi neruus compunctus vel acciſus eſt: quo caſu celerrime ſuccurrendum eſt, ſi triſtem euentum auertere cupimus.

SECTIO

SECTIO II.

DE HAEMORRHAGIIS.

§. I.

Hæmorrhagiæ vix vnquam ita tacite nobis ſubrepunt, vt non antea grauitatem & preſſorium dolorem, diſtenſionis a congeſtione teſtem, percipiamus; qui ipſe dolor facta euacuatione euaneſcit, vnde quotidianum eſt, iſtiusmodi tenſiuos dolores ſub nomine molimi-num hæmorrhagicorum accuſari.

§. II.

Vbi vero absque prægreſſa congeſtione crebro multumque accidunt, teſtantur de humorum ſcorbutica acrimonia erodente & exulcerante.

§. III.

Hæmorrhagiæ frequentiores ſunt in adoleſcentia per nares, feminis iuſta annorum periodo per vterum & vaginam, vtrique ſexui iam ſeneſcenti per hæmorrhoides: atque hæ ſalutaribus, aut ſaltem non ſemper morboſis & extimeſcendis accenſentur.

§. IIII.

Morboſæ & periculoſæ fere ſemper ſunt hæmoptyſis, vomitus ac mictus cruentus, vt & cholera ſanguinea.

§. V.

Rariores ſunt ſponte in aliquibus partibus euenien-

nientes, vt in dorſo manus, brachii flexura, illo loco, vbi mediana ſolet incidi, cantho oculi, abdominis cute.

§. VI.

Manifeſtam cauſam habentes, vt quando ſcalpello cutis vel vena vel arteria inciditur, aut vulnus quocunque modo infertur, non opus habent longa conſideratione.

§. VII.

☒ſium euacuatio, fluxusque lochiorum maxime naturales haberi poſſunt & debent hæmorrhagiæ, quando placide & iuſto tempore ac quantitate eueniunt. Si vero vel plane non ſuccedunt, quando debent, vel cum magnis emicant doloribus, vel nimium impetuoſeque fluunt, vel minori, quam par eſt, quantitate, vel qualitate peruerſa prodeunt, aut denique ſub ipſo fluxus tempore ſubito peruertuntur ac ſupprimuntur, pathologicam conſiderationem vtique merentur.

§. VIII.

Recidit autem cauſa vel in humorum qualitatem vitioſam, ſi vel viſcidi nimis, glutinoſique non poſſunt penetrare ſatis profunde ad vteri ſinus, indeque per extremitates in ſuperficiem eius terminatas prodire, vel nimis fluidi, diluti, expanſiuique nimis profunde & facile penetrant atque elabuntur: vel quærenda eſt in nimia ſtrictura & anguſtatione meatuum & extremitatum excretoriarum, quæ eadem a terrore, refrigeratione,

ne, medicamento vel victu incongruo inducta, præſentem recteque ſuccedentem fluxum ſubito valet ſupprimere.

§. VIIII.

Narium hæmorrhagia fit per extremitates excretorias arteriarum in tunica narium pituitaria diſtributarum, quæ loco & calido & humido exiſtentes, adeoque facile dilatabiles & congeſtioni parum reſiſtentes, anaſtomoſin, i. e. ampliationem patiuntur, vt cruor illuc penetret, quo antea non niſi lympha mucida, naribus humectandis deſtinata, penetrare valebat. Morboſa eſt, ſi ab illiſione corporis duri læſio continui facta ſit, aut vlcus vel eroſio in naribus ſubſiſtat, itemque impetuoſa & nimia.

§. X.

Si ſanguis per poſteriora oris aut palati erumpat, &, dum decumbimus, inter mucum circa columellam & tonſillas hærentem condenſetur & mane cum ſcreatu primo eiiciatur, aut interdiu, absque tuſſitione cum muco prodeat, hodierno dicendi more dicitur ſputum cruentum.

§. XI.

Sed hæmoptyſis vocatur, quando ſincerus, floridus & calidus ſanguis, quem aſcendentem ſentiunt ægroti, tuſſiendo eiicitur, cum magna pectoris oppletione, reſpiratione ſtertoroſa & anguſtia quaſi ſtrangulatoria.

§. XII.

§. XII.

Certum eſt, in quibusdam hæmopçyicis veram perruptionem vaſorum pulmonalium, & in veſiculas aëreas ac bronchia tranſitum ſanguinis fieri, quod aliquibus præcipitem vitæ attulit exitum. Neque dubito, quin pluribus fiat illa exeſio, quam diabroſin Græci vocant: neque tamen dubito, aliquibus hæmoptyſin accidere per ſimplicem anaſtomoſin vaſorum bronchialium: quod de illis præcipue perſuaſum habeo, qui ſæpiſſime hoc affectu correpti, non tamen quicquam graue circa reſpirationem deinde ſentiunt, nec phthiſicum quid inde reportant.

§. XIII.

Atque illud ſputum pleuriticorum lateritio quaſi rubore tinctum, aut quaſi flammulas ſanguineas admixtas habens, non aliunde, quam ab anaſtomoſi extremitatum arteriæ bronchialis deduci poteſt, quæ fit, quando ſanguis in pulmones oppletos & infarctos valde difficile influit, adeoque ramos illos, vltra modum conſuetum repletos tenet, vnde diametri extremitatum ampliores redditi ſinunt ſanguinis particulas quasdam elabi.

§. XIIII.

Vomitus cruentus eſt ſanguinis plerumque grumoſi, ſæpe tenaciter coagulati, aliquando fluidi, per vomitum reiectio, cum ſatis moleſtis ſymptomatibus, cardialgia, lipothymia, vertigine, anxietatibus inſignibus, ſæpe per vices recurrens euacuatio.

§. XV.

§. XV.

Maxime accidit feminis, tum quoque viris hypochondriacis. Et feminis quidem, quando negotium ☒ſium vitiatum eſt: vtrique ſexui poſt intempeſtiue datum vomitorium medicamentum.

§. XVI.

Plerumque ſiniſtri hypochondrii moleſta inflatio diu præceſſit, niſi aliqua etiam violentia ſubfuit. Antiqui accuſabant vaſa breuia a ventriculo ad lienem tendentia, tanquam illa atrum melancholicum ſanguinem huc deferrent. Legantur obſeruationes de his vaſis valde oppletis & expanſis poſt mortem inuentis, ſed longe facilius concipitur, quod orificia arteriolarum fundant illum ſanguinem, nimis dilatata, poſtquam in venam ita repletam ſanguis tranſire nequit.

§. XVII.

Aliquando, teſtibus obſeruationibus vetuſtis & recentioribus, hirudines in ventriculo degentes morbi cauſam præbuerunt.

§. XVIII.

Mictus cruentus dicitur, quando vel ſanguis ſincerus & ſolus mictione excernitur, vel cum ⊡ permixtus, aliquando lotii, ſanguinis & puris miſcela ſimul, prodit.

§. XVIIII.

Aliquando ſubito ſine prægreſſis doloribus accidit; non raro grauatiuo, tenſorio dolore in lumbis & inguine prænuntiatur.

§. XX.

§. XX.

Longe frequentius accidit ſenibus, quam iunioribus, & viris quam feminis.

§. XXI.

Qui nephritide laborant, a motu corporis concuſſorio, vt vectura, equitatione, vt & coitu facile illam irritant, forteque hæc cauſa eſt frequentiæ in virili ſexu non vltima, quod & motus tales ſubire ſæpius coguntur, & aliqui ad venerem ſupra vires feruntur, eamque non raro exſtimulantibus cibis, potibus, medicamentis irritant.

§. XXII.

In iisdem ſatis facile concipitur, quod attritu a calculo vel ſabulo in pelui hærente papillulæ renales exulcerentur, ſanguinemque profluere permittant: idemque fieri poteſt in ipſa veſica, calculo deliteſcente aſpero.

§. XXIII.

Aliquanto difficilius aſſequimur modum, quo fiat, vt in iis, qui a calculo liberi ſunt, mictus hic eueniat, vt & dubitari poſſe videtur de loco, ex quo ſanguis hic effluat, ſintne præciſe renes, an vreteres, veſica aut vrethra eum fundant.

§. XXIIII.

Et ſane cum recentiores complures obſeruauerint, in veſica fieri ſanguinis euacuationem ſpontaneam, quam hæmorrhoides veſicæ appellare placuit, non video, cur non talis ſanguis, vel illico ſin-

ſincerus & fluidus expelli vel cum ⊡ mixtus prodire poſſit, abſque eo vt ſemper neceſſarium ſit, illum in veſica morari, coagulari & cum tantis doloribus, de quibus obſeruationes teſtantur, tandem excerni.

§. XXV.

Debent itaque, vt locum inueniamus, ſollicite conſiderari ſymptomata, quæ vel adſunt, vel ſubſequuntur: quo facto in cognitionem loci facile perueniemus. Modus in talibus vix erit diuerſus ab eo, quem in vomitu cruento vidimus: ſcilicet arteriolarum extrema ad ſuperficiem veſicæ vel renum, aut vreterum internam terminata anaſtomoſin, ob prægreſſam diametrorum ampliationem patiuntur, & ſanguinem perfluere illic ſinunt.

§. XXVI.

In inteſtinorum longo canali ſanguinis perruptionem fieri quouis loco, æque vt in ventriculo poſſe, facile intelligo; ſolere etiam fieri, obſeruationibus credo, quarum fide conſtat, aliquibus incredibilem quantitatem ſinceri floridique ſanguinis ſeceſſiſſe, qualem caſum Dominicus Panarolus ſub nomine choleræ ſanguineæ deſcripſit: alii deiectiones nigerrimas, quaſi piceas, coagulati cruoris annotarunt.

§. XXVII.

Multa ſuppetunt exempla deiectionum eiusmodi poſt vſum fortiorum & draſticorum purganti-

um, vt colocynthidis & quorundam zniatorum, conſecutarum. Aliqui tamen, nullo horum prægreſſo, vel ſincerum vel coagulatum & quaſi piceum ac atramenti inſtar nigerrimum deiecerunt. In torminoſis quoque dyſentericorum affectibus ſanguinem ſincerum admiſceri frequentiſſimum eſt.

§. XXVIII.

Qui Pariſiis degunt aduenæ, plerumque tentantur tali deiectione cruenta, quod ex cauſa endemia fieri facile colligimus.

§. XXVIIII.

Qui tympanite aut alio chronico morbo, ex prægreſſa quartana orto, laborant, obſeruante Platero, ſæpe ante obitum deiectiones tales habent, quod vulgo dicunt: es ſey ihm die Leber oder Miltz zerfahren.

§. XXX.

Vbi a medicamentis draſticis euenit, facile admittimus exulcerationem factam; vbi vero in chronicis id accidit, inueteratæ ſtaſi humorum, & ſcirrho meſenterii id tribuendum videtur, qui tandem in inteſtina perrumpit. In dyſentericis manifeſtior eſt exulceratio, quam vt dubitari de ea poſſit. De malo Pariſienſi diſpiciant, quorum intereſt. Sponte quaſi euenientes, ac ſine torminibus ac doloribus procedentes vel anaſtomoſin, vel diæreſin pro cauſa proxima habent, quam vix quisquam poſitiue aſſerere poterit, niſi examinatis indiuidualibus circumſtantiis.

§. XXXI.

Hæmorrhoides fluentes maxime huc pertinent, ybi ſanguis ex inteſtino recto, eiusque interiori-ous plerumque partibus, ſub excrementorum de-oſitione, aut craſſioribus iam excluſis fæcibus, ontinuante tantiſper egerendi conatu, euacuatur.

§. XXXII.

Paucis omnino tam placide erumpunt, vt non ntecedant dolores tenſiui plus minus ſpaſtici cir-a viſcera abdominis, os ſacrum, lumbos.

§. XXXIII.

Quando difficilius erumpunt, ſenſum tanquam aui infixi in oſſe ſacro percipiunt: alii expri-unt tanquam nuclei ibi hærentis, quoque ma-s introrſum hic dolor percipitur, hoc minus fa-e ſuccedit fluxus.

§. XXXIIII.

Frequentius maribus quam feminis eueniunt, æcipue ſanguineo-cholericis aut ſanguineo-me-cholicis, ætate virili & ſenili, certa tamen vi-genera, vt & hæreditaria diſpoſitio, efficere poſ-nt, vt prius erumpant: quemadmodum etiam ıſus ∽oſorum, aloëticorum, vt & elleborino-n huc diſponunt.

§. XXXV.

Nihil graue ſecum fert hic fluxus debitis cir-nſtantiis eueniens, quin potius dici poteſt va-ıdinis ſenum præſidium optimum, multorum-

que grauium morborum medela & præſeruati-
uum. Neque tamen negari poteſt, multos eſſe
qui nimium ipſi tribuunt, & vix vllam flatulenti-
am in ægro aliter quam molimen hæmorrhoidal
interpretentur, cuius promouendi ſtudio ſæpe ho-
mines in periculum fruſtra adducuntur.

§. XXXVI.

Cauſa proxima huius fluxus eſt reſeratio ſi-
anaſtomoſis vaſis cuiusdam ſanguiferi ad inteſti-
ſuperficiem pertingentis, veroque ſimile eſt, arte-
rioſi cuiusdam vaſis extremitatis, eodem modo
quo in aliis hæmorrhagiis id intelleximus, accid-
re. Alii venam hæmorrhoidalem internam h-
ſolam nominant, ſed difficilior eſt conceptus in v-
na, idque beneficium, quod ægrotis ab hoc flu-
contingit, æque bene poteſt explicari, ſi euacuat-
onis locum ſtatuimus extrema arteriolarum.

§. XXXVII.

Neque ſcio, an tam accurata diſtinctio, quæ fl-
xum hunc tantum venæ hæmorrhoidali intern-
tribuit, cum vena portæ connexionem haben-
cœcas autem & ad fluxum non peruenientes ſ-
externæ adſcribit, veram & perpetuam obſerua-
onem pro fundamento habeat; mihi certe nec
tio aliqua neceſſaria obuenit, id ita præciſe defi-
endi, nec occaſio defuit contrarium obſeruandi i-
ſeptuagenario, cui, cum hæmorrhoides bene &
cillime fluentes ex cauſa vehementi ſupprimere-
tur, tumor, ſuppuratio, fiſtula exoriebantur i-
loo

loco, quo nullus vnquam anatomicus vaſa interna hæmorrhoidalia quæſiuerit aut inuenerit: cum vero initium horum omnium immediate cum ſuppreſſione cohæſerit, cum iuſta ratione dubitari non poterat, quin ſtaſis orta ſit illo loco, quo effluxus ſuppreſſus erat.

§. XXXVIII.

Agnoſco cauſam antecedentem, difficilem regreſſum ſanguinis per venam portæ ob cauſas naturales & præternaturales complures, ad quas, tanquam procatarcticæ, accedunt, copia & ſpiſſitudo ſanguinis, viſcerum hypochondriacorum mala conſtitutio, ſanguinis traiectum difficiliorem quocunque modo reddens. Reſpectu autem vaſorum, quæ externa vocantur, illorum ſub vita ſedentaria, equitatione, cetera, compreſſionem, ſub alui durioris depoſitione crebram ſtricturam & compreſſionem, ſpecialem horum conditionem, quod ſub pinguedine circumiecta decurrunt, ibique ſanguinis ſtagnationi maior præbetur facilitas, quia minus proprimitur, quam ſi inter fibras & partes muſculares decurrerent.

§. XXXVIIII.

Eſſe aliquam negotio hæmorrhoidali cum venereo coniunctionem, multis iam viſum mihique vere perſuaſum eſt ex binis caſibus viduorum, qui cum ſe ad matrimonium referrent in hæmorrhoides vterque, alter in nimias & ex mala curatione in apoplexiam lethalem incidit.

§. XXXX.

Fluunt autem aliis iuſtis & ſtatis periodis, aliis vagæ eueniunt, neque iuſtæ quantitatis aliqua perpetua lex obſeruari adhuc potuit. Nimiæ interim cenſentur, quando confertim vna profuſione fluunt, aut per complures hebdomades vel menſes cum virium conſpicua imminutione & proſtratione & cachexiæ ſubſequentis notis emanant.

§. XXXXI.

Sanguis effluit, qualis in maſſa vehitur, eſtque commentitium quidquid de ſingulari ſanguinis huius malignitate tantum non venenoſa ab aliquibus ſerio, vt videtur, contendi ſolet.

§. XXXXII.

Quæ ad hæmorrhoides cœcas pertinent, non ſunt huius loci, ſed in claſſe congeſtionum & affectuum, ad ſuppurationem ſpectantium, conſiderabuntur.

§. XXXXIII.

Tandem etiam menſtruorum aliqua mentio hic facienda videtur, quatenus illa a ſtatu naturali deſciſcentia pathologi ſtudium prouocant, nam recte ſuccedentia ad phyſiologiam pertinere exiſtimo.

§. XXXXIIII.

Vitia menſium ſunt, quando vel quantitate vel qualitate peccant, de quo ſupra iam diſpeximus. Supereſt, vt omnimodæ ſuppreſſionis, retentionis

tionis & dolorifici eorum ſucceſſus cauſas perſcrutemur.

§. XXXXV.

Quando menſtrua iuſto tempore non prorumpunt, dicitur recepto termino, Germanismum ſapiente, emanſio. Quando in illis, vbi ſemel prodiit fluxus, ante terminum legitimum deſinunt, vocatur retentio. Ceſſatio tunc vitioſa demum eſt, quando maturius, quam ex naturæ lege fieri debet, prodire deſinunt.

§. XXXXVI.

Emanſio tunc attendenda eſt, quando cum illa eueniunt incommoda, quæ alias ſuppreſſionem & retentionem menſium comitari aut ſubſequi ſolent. Hæc ſi abſint & femina commode degit nihilque ab alacritate corporis & animi deficit, optimum eſt nihil moliri, quum non adeo rariſſima ſunt exempla feminarum, quæ hunc fluxum tota ſua vita non fuerunt expertæ, & ſaniſſimæ tamen ad ſenium peruenerunt, in quibus non ſolum ſuperflua, verum etiam noxia fieri poteſt medici officioſitas.

§. XXXXVII.

Emanſionis morboſæ cauſæ vix differunt ab iis, quibus iam rectum effluxum nactæ ſupprimuntur ac retinentur, ſunt autem aliæ in humoribus, aliæ in partibus firmis; quin plerumque vtriusque generis cauſæ coniunguntur.

§. XXXXVIII.

Ex vitio firmarum partium non penetrant humores, ſi orificia vaſorum anaſtomoſin nullam admittunt, aut vteri ſubſtantia contracta & ſtricta, humoribus aditum ad orificia iſta præcludit: rurſusque nimium flaccida & relaxata vteri ſubſtantia ingreſſum quidem & ſubſiſtentem ſanguinem ad extremos apices non ſatis vegete proprimit: ad hæc firmarum partium vitia, ſi accedat ſanguinis ſpiſſitudo & vappeſcentia, tanto maior eſt penetrandi difficultas.

§. XXXXVIIII.

Vterum ſtringunt affectus vehementes, præſertim terror, ſubſequente mœrore durabili, orificia extrema ſtringunt itidem terror, frigus humidum, medicamenta adſtringentia intempeſtiue data, victus incongruus. Eminus huc valent hypochondriaco- hyſterica pathemata neruoſo generi profundius inhærentia.

§. L.

Relaxant nimium habitatio in loco humido ſubterraneo, vitæ genus inter humidas calidas exhalationes, abuſus infuſorum calidorum, ab his prægreſſis omnibus inducta vappeſcentia ſanguinis, temperamentum laxius.

§. LI.

Vix aliæ ſunt cauſæ immaturæ ceſſationis, ad quas accedunt morbi prægreſſi, vires attenuantes & ſanguinem corrumpentes varii.

§. LII.

§. LII.

Effectus omnium hæmorrhagiarum, per conſuetudinem ſemel familiarium redditarum, ille eſt, vt natura ad quamcunque ſanguinis ſuperabundantiam & commotionem expanſiuam eo recurrat, vt ſanguinis euacuationem faciat. Quod ſi moderate fiat, valetudinis conſeruandæ optimum & maximum eſt præſidium, modo loca ſint tuta & congrua.

§. LIII.

Nimiæ euacuationes, tam ſanguinis ſinceri quam aliæ quæcunque, collapſionem & inanitionem vaſorum inducendo, varias noxas inferunt corpori; ſed de hoc argumento ſupra diſpeximus.

§. LIIII.

Importunius ſuppreſſæ hæmorrhagiæ ſæpe inter ſubſiſtendum magnis morbis originem præbent, ſic hæmorrhagiæ narium, polypo; & ☒ſium ſuppreſſio vterinis excreſcentiis viam parant. Nam dum in ipſis excretoriis extremitatibus hærens ſanguis coagulatur, ibique ſubſiſtit, in extremo ſuo altero ad humorum vsque conſortium continuato, quaſi radices ſuas firmat, per quas continuo aliquid penetrat, vnde augeſcit tale concretum fere inſtar cuiusdam vegetabilis: cuius generis valde notabile exemplum mihi cognitum eſt, vbi poſt ☒ſes largius fluentes, admota aqua frigida ſuppreſſos, ex vteri cauo pronaſcebatur fungoſum tale concrementum, quod cum ſæpius eſ-

ſet tentaminibus exſtirpatoriis vexatum, tandem in cancroſam abiit indolem.

§. LV.

Non ſuccedentium hæmorrhagiarum effectus, ſunt tenſiui congeſtorii affectus, ſenſum vel grauatiuum vel acutum dolorificum, pro maiori vel minori tenſionis gradu ipſiusque loci indole, ſecum ferentes, aliquando in ſtaſin inflammatoriam abeuntes; haud raro alibi cum vitæ periculo perrumpentes.

§. LVI.

Sed hæc ſeorſim ſingulari ſectione conſideranda aſſeruamus. Suppreſſarum effectus noxii ſunt iidem, cum illa notabili circumſtantia, quod periodicæ excretiones, vt ⊠ſium, vbi ſemel alio loco prodierunt, deinceps ſæpius pertinaciter ibidem erumpant, nec facile reuocari ad debitum locum ſe patiantur.

SECTIO III.

DE CONGESTIONIBVS HVMORVM.

§. I.

Congeſtiones humorum ſunt aliquod in naturali & ordinata eorum diſtributione emergens

gens

gens vitium, quando progreſſu libero & æquabili in vno loco ſublato, ab illo principio reſtagnant, arteriæ quidem verſus ſuum truncum, venæ & vaſa lymphatica verſus ſuum principium.

§. II.

Congeſtio ſignificat pro re, de qua eſt ſermo. Congeſtio ▽rum eſt, quando alueus a limo ſenſim congeſto indeque quaſi aggere enato, vel a glacie interpoſita & accumulata in progreſſu impeditur, vnde verſus caput ſuum reſtagnant fluuii: atque hic ſignificatus inuoluit paſſiuam accumulationem; actiua eſt, quando ſtudio & labore multo decurſus ▽rum intercipitur, catarractis & aggeribus interiectis.

§. III.

Vtro, an hoc vel illo ſignificatu vocabulum intelligi in ore vel ſcriptis medicorum debeat, pendet a conſideratione hypotheſium & dogmatum. Stahliani vrgent actiuam notionem, adeoque repudiant regurgitationum, ſtagnationum, ſtaſium, obſtructionum nomina: quæ tamen admittere cōguntur in grauiſſimis congeſtionibus, quæ homini antea ſaniſſimo accidunt poſt violentas læſiones & diſpoſitiones partium in foro chirurgico & clinico practico crebro occurrentes. Definiunt igitur congeſtionem, quod ſit ſpecialis humorum directio, a natura ſapiente ſuſcepta ad certa loca hæmorrhagica.

§. IIII.

Quum vero ſapiens aliquod tale directorium

motuum

motuum ſit inter illa, quæ diſputantur: ab ipſisque eius aſſertoribus multa etiam in hoc negotio animaduertantur, quæ non ſapientiæ ſed errori tribuenda ſunt; in tam intricatas diſputationes, nullum ſolidum afferentes fructum, & cereo quouis naſo flexibiliores, me non immitto.

§. V.

Sufficere puto, ea, quæ facti ſunt, conſideraſſe, vt inde peruideamus *quid* de cauſarum diuerſitate ſtatuendum ſit.

§. VI.

Cognoſcuntur congeſtiones ex vaſorum impletione & infarctu vsque ad minimos vaſorum receſſus, vnde rubedo exſurgit, & pars turgida apparet. Dolores tendentes & grauantes percipiuntur; ſæpe, pro loci conditione, lancinantes & pungentes. Iungitur fere ſanguinis conſpicuus æſtus, qui in ſenſus incurrit, ſi pars congeſtionem ſuſcipiens ſit tactui obuia. In locis remotis & extremitatibus conſtrictio, frigus, pallor obſeruantur, cum ſenſu manifeſto ſpaſticæ tractionis.

§. VII.

Omnia hæc pathemata plerumque illico miteſcunt & mox penitus diſparent, quando loci conditio ſanguinis perruptionem fieri permittit, vt in naribus, ac vteri & inteſtini recti ſuperficie interiori.

§. VIII.

Quo ſæpius in talibus partibus facta fuerit euacuatio,

cuatio, eo facilius in conſuetudinem vertitur, vt & ipſe locus magis ſuſceptibilis fieri videatur, & motuum adſuetudo habitualis ſubſequatur: quæ vero in quo conſiſtat, difficillime verbis exprimi aut cogitando etiam intelligi ſatis poteſt. Sed cum plura in corpore eadem lege fiant & contingant, vis ſaltem conſuetudinis a nemine in dubium vocari poteſt.

§. VIIII.

Quid vero primum inducat congeſtiones identidemque repetat, vt inde conſuetudo enaſcatur, perpendendum & requirendum nunc eſt, ex rerum maxime naturalium & non naturalium diuerſo concurſu.

§. X.

Supra indicatum eſt ætatum rationem hic permultum valere, vt ſecundum annorum periodos & ordinem, quo corpus ad iuſtam magnitudinem perducitur, humorum congeſtiones relationem certam habere cognoſcantur.

§. XI.

Conſpirat cum iſto negotio periodus pubertatis incipientis, quæ circa ſecundum annorum ſeptenarium in puellis, in maribus circa tertium peragitur; quo tempore in vtriusque ſexus hominibus multa mutari palam eſt.

§. XII.

Dum enim eodem tempore capitis plena amplificatio

plificatio & elaboratio in ſuperioribus peragitur, in inferioribus, nondum omnino abſoluto priori negotio, genitalium partium perfectio quæritur & vſus incipit: emergentes & obiectæ in inferioribus difficultates huius operis, viarumque nondum ſatis patentium anguſtia per ſe facit impedimentum: & aliis accedentibus cauſis ex rerum non naturalium cenſu, regurgitationem humorum ad oppoſitam partem ſuperiorem facit: vnde frequentes hæmorrhagiæ narium in puellis deſinunt, quamprimum ☒ſes debite fluunt, non ſuccedentibus aut impeditis illis, caput dolet & congeſtionibus earumque effectibus vexatur.

§. XIII.

Similiter in illis, qui ad iuſtam peruenerunt ſtaturam, iuuentute confirmata, dum humeri & pectus notabiliter amplificantur; iſta ætate, naturalis eſt humorum ad hæc loca frequentior appulſus: vnde fit, vt molles ac recenter diductæ fibræ, vaſaque ſequacia & facile extenſibilia, promte admittant congeſtionem & coaceruationem humorum, ſi aliæ cauſæ non naturales concurrant.

§. XIIII.

Circa 40. annum abdomen magis extendi, aninaque ſuperflua colligi incipit: & ab hoc tempore decubitus collectionesque humorum in partibus inferioribus frequentiores fieri incipiunt.

§. XV.

Res non naturales hic potiſſimum valent, aër ac

cibi

cibi & potus: a quorum conditionibus excretorum & retentorum ſucceſſus maxime pendet, quæ hic non minimum valere cognoſcuntur. Aër vel expandit humores vel condenſat; idque vel in vniuerſo corpore vel in parte. Cibi flatulenti, craſſiores, mali ſucci, primis viis & inteſtinorum canali expanſione, acrimonia, ſtypticitate nocent, craſſos ſuccos inferunt maſſæ: hinc difficilior tranſitus &c. Potus fermentantes frigidi +di, vappeſcentes: ſinguli ſuo modo nocent, quorum omnium effectus ſingulari capite conſiderantur.

§. XVI.

Accedunt ex rebus præternaturalibus, præter iam indicata, viſcerum quorundam indurationes a morbis prægreſſis, eorumque malo decurſu aut improuida medicatione.

§. XVII.

Haud raro congeſtiones fouent res quædam vix attendi ſolitæ, vt in adoleſcentibus colli arctior conſtrictio per faſciam circumductam, in puellis thoracis arcta compreſſio: quæ, accedentibus aliis cauſis procatarcticis, ſæpe vehementer nocent. Sic etiam equitatio diuturnior, ſanguinem ad loca hæmorrhoidalia detinet.

§. XVIII.

Effectus congeſtionum eſt vaſorum in parte humoribus ſuperonerata diſtenſio inflatoria, qua diametri eorum vltra conſuetum terminum vrgentur; id cum pari proportione fiat in vltimis & excretoriis

cretoriis poris, euenit, vt altius, quam debebat & ſolebat, ſanguis penetret, totam illam partem magis coloratam reddet, ſubinde dolorem caloremque notabilem ibi excitet & non raro exeundi viam inueniat.

§. XVIIII.

Sæpius repetita & diutius tolerata congeſtio in parte molli & ſequaci, vt ſunt in illis, qui increſcunt, facile inducit habitualem diſpoſitionem laxiorem, hoc eſt, eam, quam ſupra indicabamus, conſuetudinem ſuſcipiendi fouendique ſanguinem.

§. XX.

Si congeſtionibus cauſa accedat arctius conſtringens, & ſanguinem quaſi incarcerans, fit ſtaſis humorum, quæ, niſi cito reſoluatur vel in ſuppurationem abit, vel in ſphaceloſam & emortualem corruptionem, aut ſi minus diffuſa eſt illa ſtaſis, inflammationique mature obuiam itum eſt neque tamen diſcuſſioni locus fuit, enaſcitur ſcirrhus ſeu induratio.

SECTIO IIII.

DE

INFLAMMATIONIBVS.

§. I.

Congeſtiones viam ſternere ad inflammationes, modo oſtenſum eſt. Ea ſcilicet ex cauſis abunde adductis facta, ſi non diſſipetur

ſipetur per hæmorrhagiam ſubſequentem, aut ceſſantibus cauſis, antecedente & procatarcticis, ſponte deſinat: contra vero accedat aliquid arctius conſtringens & ſanguinem incarcerans, oritur ſtatus inflammatorius.

§. II.

Eſt autem inflammatio tumor rubicundus plus minus diffuſus, dolorem pungentem, pulſatorium, lancinantem afferens cum duritie renitente ac calore quaſi rodente, a quo, ſi paulo maior eſt, febris raro abeſt, ortus ex ſanguinis motu progreſſiuo intercepto, vaſis autem adducentibus continuo nouum humorem afferentibus, fit extenſio dolorifica, humorum incluſorum motus inteſtinus expanſiuus, tandem perruptio, calor intenſus, vnde vel corruptio ſphaceloſa oritur, vel extrauaſati cum fibris & partibus ſolidis ſtaſin continentibus reſolutio in purulentam ſubſtantiam.

§. III.

Inflammatio ſi tantum ſuperficiei inhæret, vocatur eryſipelas, ſi hoc paulo profundius ſit, cum additamento phlegmonôdes vocatur: ſi diffuſa magna ac vehemens eſt, celeriterque augeſcit, vocatur gangræna der heiſſe Brand: ſi in corruptionem emortualem tranſit, vocatur ſphacelus der kalte Brand: ſi emoritur particula modica circumſtante ſano, ſalutatur carbunculus: ſi in exiguo ſpatio tuberculum in medio ſuppuratur, furunculus ein Blut-Geſchwür dicitur, atque hæc (*Schulz. Pathol. gener.*)

ſingula accidentalibus differentiis pluribus inter ſe diuerſa deprehenduntur & in chirurgia medica tanquam proprio loco tractanda ſunt.

§. IIII.

Exoritur vero inflammatio vel a cauſa mere interna, a prægreſſa congeſtione, accedente cauſa quadam arctius conſtringente, ſanguinem incarcerante, ac reditum ad priſtinum motum tollente, vt §. I. dictum eſt: vel a cauſa violenta externa contundente aut diſſoluente; vnde extrauaſati humores ſubſiſtunt & in inflammationem ruunt.

§. V.

Ex cauſis externis, vtpote in ſenſus incurrentibus, facilius ideam formabimus, quomodo agant cauſæ internæ ſenſibus noſtris ſubtractæ.

§. VI.

Si qua pars carnoſa vehementius alliſa, verberata, contuſa fuerit, videmus eam ſanguine ſubter cutim effuſo ſuffundi. Huic ſanguini, ſi facta inciſione exitus paretur, & cetera recte curentur, auerti poteſt euentus inflammatorius aut ſaltem valde minui. Si id neglectum ſit, ſanguis extra vaſa hærens nec redeundi viam inueniens, ſubſiſtit, vicina premit, affluxu continuante augeſcit, copia extenſionem facit, tractione illa vicinis dolorem inducit. Collectus ipſe ſanguis a nouo per arterias affluente calorem concipit motuque inteſtino excitato efferueſcit, ſub quo ſtatu vehemen-

tius

tius rubet, tumet, dolet & calet locus, donec vel abſoluta eſt ſuppuratio vel putredinoſa corruptio inuadit.

§. VII.

In iſto caſu ne ſanguis regrediatur, in cauſa eſt, quod extra vaſa hæret in loco, vbi ſubſequens quidem impellit, ſed non in locum peruium, verum talem, qui aliqualiter quidem allatæ vi cedit, ſed in totum cedere nequit. Ab illa vi orti dolores ſtricturam porro vicinis inducunt, vt non ſolum ille extravaſatus ſubſiſtat, verum etiam illa preſſione a libero progreſſu prohibitus & ob dolorificam ſtricturam arctius concluſus & incarceratus, ex quo tumor augeſcit & ambitum maiorem conſequitur.

§. VIII.

Si ex cauſa mere interna facta fuerit congeſtio, eaque non expedita & diſcuſſa, vaſorum, vbi maior ſanguinis eſt coaceruatio, nimia diſtenſio facit vicinis dolorem, dolor conſtrictionem, ab hac illico maior partis inflatio, tandem vaſis vnius vel alterius diſruptio, ſanguinisque effuſio: qui cum hæreat in loco, vbi progredi non licet, idem fatum habet, quod §. 6. exemplo externarum læſionum vidimus.

§. VIIII.

Inflammatio ſuppuratoria eſt indolis diæreticæ; ſcilicet reſoluit ſanguinem, & fibras circumpoſi-

 tas,

nas, in materiam, ex qua ortum habuerunt, chyloſam albam, ſpiſſiuſculam, quæ optima eſt. Quantum autem ab hac idea recedit ſuppuratio, pus inæquale fœtidum, grumis & carunculis nigris permixtum generans, tanto peioris eſt ominis & grauioris cauſæ prægreſſæ difficiliorisque ſanationis index.

§. X.

Suppuratione enata adeſt apoſtema ſeu abſceſſus, ſcilicet partes, quæ antea cohæſerant & continuæ fuerant, a ſe inuicem diſceſſerunt interueniente materia heterogenea; hac emiſſa enaſcitur ſinus, qui ſi in longitudinem patet, & pergit, vocatur fiſtula ſeu vlcus fiſtuloſum, vt illud, quod in latum diffunditur, ſinuoſum appellari conſueuit.

§. XI.

Inflammationis euentus putrefactorius emortualis, ſphaceloſus, partes ſenſu omni motuque ſicque vitalitate priuatas reddit, proſerpente in ſanam partem, niſi obſtiteris, eadem corruptione. Obſiſtimus autem, eam vel in viuo reſecando, vel idoneis modis ad ſeceſſionem & ſuppurationem inducendo.

§. XII.

Illum vero euentum inducunt in genere ſtaſeos firmitas ſubſiſtentiumque humorum valde inſignis copia, tum vero etiam humorum effœta & per ſenectutem morbosque prægreſſos inſigniter labefactata

factata conditio eaque cacochymia, quam ſcorbuticam veteres nominarunt.

§. XIII.

Sphacelatoriæ corruptioni analogum quid accidit in morbis malignis epidemiis, quorum peſſimus gradus in peſtilentia obſeruatur, vbi portiones notabiles quædam emoriuntur, quod carbunculos vocitamus. Minores particulæ tales ſubinde viſuntur in medio variolarum, quin petechiæ videntur nihil aliud eſſe, quam particulæ humorum infectæ acerrimo halituoſo miaſmate, in ipſo ſuo exitu e corpore vaſorum ſubcutaneorum partes a vitalitatis ſtatu deiicientes, vnde poſtea diſſipato penitus veneno illæ liuidæ & cœruleæ maculæ ſquamarum forma decidunt.

SECTIO V.

DE FEBRIBVS.

§. I.

Febris eſt præternaturalis quædam corporis viui diſpoſitio circulum humorum vitalem ita alterans, vt a peripheria ad centrum reuocentur ibique detineantur, & poſt aliquam moram ad peripheriam a centro iterum pellantur, cum manifeſta quoad frigus & calorem alteratione, pulſu celeri & frequenti, multisque ſymptomatibus moleſtis ſtipata.

§. II.

Conſtat autem febris duplici motu, altero, quo humores ab externo corporis habitu ad interiora reſtringuntur, toto genere præternaturali violento & ſpaſmodico, altero ſubſequente, qui aucta cordis impellentis vi priori reſiſtit & illum ſucceſſiue ſuperat perrumpendoque diametros vaſorum ſtrictos iterum dilatat & vsque ad extremos poros corpus peruium & tranſpirabile reddit, quo facto calor deferueſcit & omnia ad gradum & ſtatum naturalem aut naturali proximum reducuntur.

§. III.

Febrium non vnum genus datur, ſed eſt multiplex varietas, dantur enim intermittentes, vti quotidianæ, tertianæ, quartanæ, eæque vel ſtata tempora ſeruantes, vel anticipantes, vel poſtponentes, item duplicatæ, triplicatæ; dantur continuæ & continentes, inflammatoriæ, bilioſæ, catarrhales, exanthematicæ, benignæ, malignæ, lentæ, hecticæ, iterumque compoſitæ ex periodo acuta, vulnerariæ, dyſentericæ.

§. IIII.

Hæ vero omnes realiter quidem & notabiliter diſtinguibiles & a ſe inuicem diuerſæ, attamen in illis, quæ ad febris eſſentiam pertinent, conueniunt indeque febrium nomen impoſitum tuentur.

§. V.

Illud igitur febrium eſſentiale eſt in circulo humorum

morum quærendum, quatenus ille a cauſis ſuis inæquabiliter fertur & modo aliis partibus humorum affluxus ſubtrahitur, vnde frigent & horrent, modo celerius in orbem agitur per vim cordis ſyſtalticam auctiorem, vaſorum etiam arterioſorum ſolito maiorem & celeriorem contractionem, ſub quo ſtatu humores magis magisue inualeſcunt.

§. VI.

Iſtud vero, quod facit, vt humores ita ferantur inæquabiliter cordisque ac arteriarum motum ſyſtalticum intendit, in ætiologica inquiſitione nunc eſt indagandum fereque in tota pathologia maxime arduum videtur, præſertim ſi ita accurate aſſequi velimus, vt minimarum circumſtantiarum, e. g. temporis, reddi rationes debeant. Sed imus, qua poſſumus, nobisque debet ſufficere, ſi inueniamus illas cauſas materiales, quæ remotæ febrem ceſſare faciunt.

§. VII.

Circulus humorum liber & æquabilis fertur, quando vaſa ſecundum naturam patula ad omne punctum corporis aditum liberum permittunt.

§. VIII.

Illa permeabilitas intercipitur & prohibetur, quando extremi pori non patent; illas enim natura dedit, vt poſſent minimi canales ad vsque extremum impleri.

§. VIIII.

Quando minimi pori in extremitatibus ſuis clau-

 duntur,

duntur, vapores tenuiſſimi, in quos pars humiditatis magna ope caloris reſoluitur, ad fines ſubſiſtunt, & dum continuo noui tales vapores accedunt, aceruantur.

§. X.

Quum vero ex lege naturæ impenetrabiles ſint ab illo ſpatio, quod occupant, excludunt alium quemcunque humorem.

§. XI.

Neceſſarium eſt igitur, vbi hic ſtatus diu durat, ſanguinis multam partem, quæ per minima vaſa circulari debebat, ab his prohibitam, regurgitare & redundare ad alia vaſa paulo maiora, hæc vero minora ſenſim amittere fructum illum, quem a præſentia debitorum humorum percipere potuiſſent.

§. XII.

Inde vero illa, in quæ regurgitauit humor, amplius infarcientur vaſa maioremque diaſtolem patientur, quæ facit maiorem iterum & fortiorem ſyſtolen, quo ſtatu manente febris præcipuum & quaſi proprium phænomenon, pulſus frequens & celer, neceſſario euenire debet.

§. XIII.

Accedit, quod ex poris clauſis & halitus & vapores retinentibus neceſſario ſubnaſcatur tenſio partium membranacearum & neruoſarum præternaturalis, quam facile intelligimus cogitantes po-

rorum

rorum infinitam multitudinem eorumque per rete cutaneum vtique nerueum & tenuiſſimum hiantia orificia, nam ſi quisque illorum pororum duplo magis quam natura permittit, expandatur, premet vtique aliqua filamenta, alia, cum quibus cohæret, tendet, moleſtamque illis ſenſationem inducet.

§. XIIII.

Iam omnis eiusmodi tenſio, quæ neruoſo generi inhæret, facile propagatur a minimis & vltimis filamentis neruorum ad maiores eorum ramos ſicque ex particulari externæ ſuperficiei ſpaſmo fit vniuerſalis.

§. XV.

Spaſmus hic per propagationem a ſuperficie ad interiora productus principium neruorum iſtorum, qui ſuperficiem pererrant, medullam ſpinalem petit, ſed ſimul per filamenta intercoſtalis parisque vagi plexus abdominis corripit.

§. XVI.

Ad duram matrem ceterasque medullam ſpinalem includentes membranas, propagatus ille ſpaſmus effectum notiſſimum edit in omne membranarum & neruoſum genus, conſequenter in arteriarum venarumque tunicas, quibus conſtrictio maior & niſus ad diametros ſuos anguſtandos inprimitur, itidemque in membranam muſculorum communem & hinc inter fibras carnoſas excur-

rentes transuerſales fibras tendineo-nerueas ſimul corripit.

§. XVII.

Hinc patet ratio, vnde fiat, vt in febrium principio, habitus externus conſtringatur, collabaſcat, palleat totusque homo contremiſcat membraque quatiantur, non alio modo, quam tunc fit, quando magno gelu fuimus conſtricti, quo accedit omnino cauſa illa frigoris, quam iam ſupra vidimus.

§. XVIII.

Expoſita itaque ratione inducitur omni membranaceo & neruoſo generi ſtrictura humoresque ab externo habitu ad interiora compelluntur. Hoc facto fieri porro nequit, quin ſanguis ad cor compulſus, diaſtolem faciat maiorem, quam ſubſequitur proportionata ſyſtole, vnde pulſus redditur vehementior. Cumque in promptu ſtans copioſe ſanguis celerrime irruendo cordis ventriculos replet eademque celeritate ſyſtole ſubſequatur, hæc ſingularum diaſtolarum & ſyſtolarum celeritas in ſucceſſiue repetitis facit frequentiam hæcque eſt ratio pulſus celeris & frequentis.

§. XVIIII.

Atque ab hoc incipit actus ſecundus ſcenæ febrilis, ipſa ſcilicet vi corporis inſurgente, aduerſus morboſum primum actum reſtrictionis, qui ſibi relictus vitæ maximum periculum minabatur & non rara ſunt exempla eorum, qui ſub hoc primo actu in affectus apoplecticos inciderunt & viuere

uere deſierunt, aut in apoplexiæ prodromos, lethargum vel aliam ſoporiferorum affectuum ſpeciem.

§. XX.

Aucta igitur ſanguinis circulatione per ſyſtoles cordis, & celeriores vt vehementiores, ſanguis in vaſa arterioſa, quantumuis ſtrictiora, vi maiori intruditur, ſicque ſtricturam eorum ſenſim deuincit & amplius ad ſuperficiem permouetur.

§. XXI.

Cum vero ſubſiſtant illæ cauſæ §. VIII-X. indicatæ, quæ æqualitatem fieri prohibent, ſanguis initio per arterias in venas immediate totus tranſit & extremitates illas, quas arterias lymphaticas vocamus, non penetrat, hinc tota ſua craſi & cum calore omni, imo auctiori in venas abit.

§. XXII.

Et craſin quidem ſanguinis venoſi diuerſam ab ordinaria prodit ſanguis, qui febre aliqua laborantibus ex vena mittitur, non ſolum magis, quam alias ſolet, gelatinoſus; ſed gelatina etiam ſpiſſiore in ſuperficie tectus tenaci inſtar glutinis.

§. XXIII.

Calorem autem ſenſuum iudicio percipimus eumque ægroti querelis, ventilationibus, crebris iactitationibus ſuis produnt.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Eum autem ſiccum ſqualidumque ſatis longo tempore patiuntur, donec a tergo impellens ſanguis, poſtquam ſtricturam patentiorum canaliculorum ſuperauit, eosque ſatis patentes ſibi reddidit, in minores quoque impetum facit, incluſosque halitus impellendo tandem in ſuperficie hiantes extremitates etiam perrumpere valet & ſic perſpirabilitatem reſtituit, quo facto primo halitus, inde ſudores ſæpe ſatis copioſi erumpunt, omnia ſenſim mitiora fiunt, & homo ad *ἀπυρεξίαν* reuertitur.

§. XXV.

Atque hæc ſunt, quæ de generatione febrium ex variis cauſis dici ita poſſunt, vt experientiæ congruant veræque medendi methodo conueniant. Nam cauſas a priori non patentes, hac via, quæ a poſteriori in ſcholis dicitur, venari & indagare neceſſe eſt.

§. XXVI.

Quod circuituum rationes attinet eorumque vel fixorum, vel certa lege aut anticipantium aut poſtponentium, fateor, me nondum inueniſſe aliquam ætiologiam, cui ipſe fidem potuerim adiicere. Hypotheſes ſat multas legi & memoria teneo, ſed tempori recenſendis illis impendendo tanto iuſtius parco, quanto certius eſt, omnes medicos ſibi religioſe cauere, ne quid in hoc negotio mutent vel nouent.

§. XXVII.

§. XXVII.

Applicatio datæ febrium pathologiæ ætiologicæ ad ſingulas febrium ſpecies, non eſt pathologiæ generalis, ſed ſpecialis.

SECTIO VI.

DE

AFFECTIBVS CATARRHALIBVS, RHEVMATICIS ET ARTHRITICIS.

§. I.

Generalis conſpiratio & conuenientia notatur in affectibus catarrhalibus, rheumaticis & arthriticis, quæ in eo conſiſtit, vt triſtis ſenſatio expanſiua & tractoria percipiatur in membranoſis partibus cum variis moleſtis ſymptomatibus.

§. II.

Si id tantum accidat in naribus, ore, faucibus & bronchiis, catarrhi nomine a vetuſtis deſignatum eſt; rheuma ſeu rheumatiſmum dixerunt diffuſam talem ſenſationem, in certa regione corporis muſcularibus partibus inhærentem, vt humero, dorſo, femoribus; ſi vero articulis inhæret, arthritis nominatur & pro diuerſitate illorum nomen podagræ, gonagræ, chiragræ, mali iſchiadici accipit:

cipit; eodemque referuntur hemicrania & pleuritis ſpuria.

§. III.

Catarrhi ſubiectum eſt tunica pituitaria, narium & cauitatum eo pertinentium ſuperficiem inueſtiens, quæ alicubi veris glandulis ſatis conſpicuis prædita eſt, alibi extremitatibus excretoriis in ſenſum vix incurrentibus prædita, per illas rigatur.

§. IIII.

Nec minus catarrhi ſubiectum eſt tunica palatum, ſummas fauces, aſperam arteriam, & bronchia obducens, quæ ſimiliter rigatur continuo affluxu materiæ humidæ ad mucoſitatem inclinantis eiusque vel ex conſpicuis glandulis vel ex tubulis excretoriis prouenientis.

§. V.

Anatome docet, tubulos iſtos excretorios ſatis longos eſſe & notabili ſpatio repletos illo mucilaginoſo humore deprehendi, membranam non ſuper planum æqualiter vbique extendi, ſed in cauitates maiores minoresque intrare ibique iterum expandi ac ampliores reddi, aditus autem ad caua anguſtos eſſe, vt & alicubi in modum conchyliorum turbinatorum inuolui, exiguis interuallis tantum inter latera relictis.

§. VI.

Si tubuli tales longi, quorum multi parallelo ordine iuxta ſe feruntur, in extremo ſuo clauduntur,

tur, vt nihil effluat, ab altero autem fine affluxus ſecreti continuat, neceſſe eſt canalem occluſo poro continuatum, ab affluente vlteriori humiditate infarciri, i. e. amplius, quam ordinarius modus permittit, impleri ac inde dilatari.

§. VII.

Id ſi accidat ſimul multis iuxta ſe poſitis, illi in tantum augebunt magnitudinem & craſſitudinem totius membranæ, in quantum ipſi vltra conſuetum diametrum ampliantur. Ex quo fit, vt cauum, oſſibus a poſteriori parte circumdatum ibique cedere neſcium, anguſtius reddatur quam prius fuerat, anguſta vero caua & ad hæc tranſitus exigui plane obſtruantur.

§. VIII.

Quo facto non ſolum in vocis emiſſæ ſono claritas priſtina deſiderabitur, ob eam cauſam, quia caua quaſi reſonantia officium facere nequeunt, verum etiam propterea, quod ſuperficies tot pororum clauſorum, ab intus tamen congeſta & premente humiditate protuberantiam & inæqualitatem facientium, æquali & læui tunicæ aſperitatem conciliat, quæ vocem transeuntem toties allidere facit, quod raucedinem vocare ſolemus.

§. VIIII.

Ab illa tot pororum occluſione & conſequente tenſione exoritur moleſta ſenſatio tenſiua & preſſoria, quæ grauedini propria eſt, itemque ton-

ſillarum

ſillarum, vuulæ & faucium ac palati inflatio tumida mucida, vnde reſpiratio, loquela, deglutitio vitiantur, quemadmodum narium meatus ab eodem tumore tantum non concluſus aëris introitum & exitum per alterutram & vtramque narem ſæpe impedit.

§. X.

Cum autem cauſa conſtringens primum & plurimum valeat in ſuperiorem partem prædicti tractus, inferiorem autem & pulmonum interiora minus vtique afficere valeat; hinc fit, vt non ſolum in non conſtrictis poris pergat ſuccedere excretio, verum etiam aliquanto magis augeatur.

§. XI.

Sed cum materia illa mucida emolienda & proiicienda per aſperum canalem §. VIII. vbicunque allidat & adhæreſcat: hinc irritatio exorta tuſſim, i. e. reiteratos crebros motus eliſorios, facit. Eſt enim tuſſis motus thoracis exſpiratorius intenſior & crebrius per breuiſſima interualla repetitus, quo aër copioſius primum hauſtus clauſoque tantiſper larynge detentus, tota deinde vi ſurſum truſo diaphragmate muſculorumque abdominis, tum vero etiam ceterorum exſpirationi dicatorum, fibrarumque, quas ipſa bronchia habent, motricium niſu iterum eliditur, ſub quo actu intus contenta materia ſurſum propellitur & euacuatur.

§. XII.

§. XII.

Tanto autem magis efferatur tuſſis, quanto acrior & tenuior eſt materia; miteſcit pro eo gradu ac ſenſim ad ſimplicem mucoſitatem non nimis tenacem reuertitur; omnino ceſſat, quando reddita omnibus poris naturali conſtitutione, tam quantitate, quam qualitate naturæ conuenienti ſecernitur.

§. XIII.

Quando catarrhus reſoluitur, pori, qui conſtricti, ſenſim iterum laxantur, profluit initio materia acris eroſiua, conſequente mox craſſiore, ſæpe interiectis ſtriis quaſi purulentis, tandemque ordinarius mucus, copioſior quidem ſolito fertur, donec ad naturalem modum omnia reuertantur.

§. XIIII.

Sed ſingularem conſiderationem hic poſtulant cauitates oſſibus capitis inſculptæ, vt frontales, maxillares & ſphenoidea, in quibus coaceruari mucus & poteſt & ſolet, ibique condenſari, vt per anguſta foramina, quibus in nares patent, tarde difficillimeque effluat: vnde ſæpius ibi ſubſiſtens & corruptus grauiſſimos capitis dolores vsque ad mentis emotionem efficit, cuius rei inſigne exemplum tradidi in diſſert. Altorff. de cauitatibus oſſium capitis 1722. edita.

§. XV.

Catarrhalium affectuum cauſas requirentem iu-

uat conſideratio ſubiectorum, quæ maxime hoc morbo tentantur & temporis, quo frequentiſſime graſſantur.

§. XVI.

Subiecta ſunt corporis habitu ſanguineo & phlegmatico prædita, præque viris feminæ. Talibus autem vaſa copioſiora & anguſtiora eſſe, hinc faciliora conſtrictu, quam ampliora, facile intelligitur. Tempus anni eſt, quo aër frigidus & humidus maxime regnat, conſtringendis poris aptiſſimus: quo etiam quisque magis adſueuit aëre humido & calido circumfundi, eo facilius catarrhis corripitur, quoties in publicum prodit.

§. XVII.

Eſt igitur cauſa remota diſpoſitio corporum, antecedens aëris humiditas & frigiditas, fibris contractionem inducens, proxima, ipſamet conſtrictione facta eueniens muci ſtagnatio & quæ ex illa porro conſequuntur.

§. XVIII.

Rheumaticorum dolorum & catarrhalium moleſtiarum differentiam ſupra vidimus, ſupereſt nunc conſideratio cauſalis inſtituenda.

§. XVIIII.

Occupat dolor rheumaticus partes muſculis multis obductas & plerumque late diffunditur non fert lecti calorem a plumis mollibus inductum nec inſudat talis locus, etiam reliquo ſudante

cor

corpore, ſed dolores tantum ſenſibiliter inde exacerbantur, ſubinde ſenſum præbet, tanquam eſſet muſculus ſua ſede motus, vnde ſæpe exiſtimant, luxationem aliquam ſubeſſe. Aliqui tanquam flatum incluſum ſentire ſe profitentur.

§. XX.

Frequentiſſime accidit hominibus conſiſtentis ætatis, vegetis & actiuioribus, illis præcipue, qui ſe frigoribus quondam expoſuerunt, aut circa illum locum aliquando luxationem vel fracturam habuerunt, aut fonticulos vel vlcera geſtarunt eaque conſolidanda curauerunt.

§. XXI.

Vix vnquam frequentius occurrunt, quam hieme & prope ſolſtitium hibernum, feminis maxime ingruunt, quando menſes illarum ceſſant & prædictæ rationes conſpirant.

§. XXII.

Cauſa proxima eſt ſeri ſanguinis mucidi acris circa partes illas, quæ fibras muſculoſas cingunt & circumdant, (membranas ſcilicet, quæ ipſos muſculos circumdant, eorumque celluloſa ſpatia) ſtagnatio, non raro formalis inflatio a vaporibus per ſuperficiem exhalaturis, exitu autem prohibitis, ob pororum ab admiſſo frigore conſtrictionem, aut a collectione ſebacea conſtipationem.

§. XXIII.

Obſeruatum eſt crebro, in demortuis rheumatiſmo-

tiſmorum moleſtia obnoxiis, magnam mucilaginoſæ humiditatis copiam dictis locis ſubſtitiſſe, quod ipſi mihi videre licuit in viro quadragenario, cui circa os femoris ad genu deſinentium muſculorum interſtitia quaſi gelatina quadam erant repleta & diſtenta.

§. XXIIII.

Quo autem modo talis ſeri decubitus & in gelatinam mucilaginemque collectio fiat, non difficillime ex pororum maiorum, in quos multi minores deſinunt, conſtitutione cognoſcimus: ſcilicet non ſolum cutis extrema poros dimittit, ſed ſub cute ad locum pinguedinis pertinentes tales dari ex morborum cutaneorum doctrina pateſcit crebrisque exemplis practicis cognoſcitur.

§. XXV.

Quando igitur pars aliqua aëris frigidi conſtringentis iniurias diutius perpetitur indeque effluxus halituoſorum vaporum intercipitur & prohibetur ipſique lymphatici gelatinoſique humores diutius ſubſiſtendo ſpiſſeſcunt, a tergo ſubſequens affluxus per membranas craſſiores & denſiores ſufflaminatur, vnde in illis ſtagnans vaſa inflat, vltra conſuetum diametrum eadem vrget, diutiusque in eodem ſtatu detinens immobilitatem ſenſumque doloris initio grauatiui, mox ſatis acuti infert.

§. XXVI.

Quod tanto magis fieri ſolet, ſi illius loci fibræ

bræ a vulnere olim accepto & conſolidato cicatrice craſſiore fuerunt glutinatæ, aut a luxatione prægreſſa violenter elongatæ, & ad decubitum admittendum fouendumque aptæ redditæ, ineptæ autem ad reſiſtendum & expellendum, aut denique ſi ipſi humores acres corrupti, eroſiui a ſuſcepta labe ſcorbutica, venerea, ſimilibus, euaſerunt, quod in illis quoque conſiderandum eſt, qui fonticulos aut vlcera in parte patiente aut prope illam geſtarunt.

§. XXVII.

Proxime ad verum accedere hanc theoriam confirmat illud phænomenon, quod a mollis lecti calore exaſperantur dolores, quia calor incluſus vaporem vel humorem expandit, vt amplius expanſione ſua fibras & vaſa vrgeat, ſicque triſtem ſenſum preſſionis tractionisque exaſperet, itemque iuuantium conſideratio.

§. XXVIII.

Arthriticorum affectuum a rheumaticis differentia in eo potiſſimum conſiſtit, quod in arthritide dolor minus diffuſus eſt, quippe ſoli articuli quidam moleſtias perferunt, tanto tamen ſenſibiliores, quo magis ligamenta, quibus dolor inhæret, ſtrictæ compactæque naturæ ſint, et per fibras denſiores impacti ibique ſubſiſtentes humores non ſine maxima difficultate & tardiſſimo gradu propelli poſſint.

§. XXVIIII.

Aetatem ſenilem incipientem frequentiſſime adgrediuntur & plerumque ſtato tempore recurrit paroxyſmus; ingruit media nocte aut poſt noctis medium, & in pluribus id accidit menſibus Ianuario finiente aut Februario incipiente, quod magnam meditandi occaſionem præbere poteſt.

§. XXX.

Notiſſimum eſt, quod a locis, quæ excruciantur, varia nomina, vt podagræ, gonagræ, chiragræ, iſchiadici mali, impoſita ſint, quibus pedum, manuum ac coxendicis dolores deſcribuntur.

§. XXXI.

Eſt vero arthritis vel vaga, quæ ab vno articulo ad alium pergit, ſingulosque aliquamdiu exercet, aliquibus ad 24. horas, aliis diebus pluribus, ſicque per aliquot ordine hebdomades hominem excruciat: vel fixa, quæ ab illo membro, quod occupauit, nomen trahit & vix vnquam breuiori ſpatio, quam vnius hebdomadis deſerit, aliquibus ad integros menſes adhæret.

§. XXXII.

Fixa notabilem tumorem & ruborem adiunctum habet, quod in vaga non æque obſeruari licet. Dolor vehemens adeſt, pungens, tenſiuus, pulſans, rodens cum flectendi impotentia & febrilibus ſymptomatibus.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Vbi morbus diuturnus eſt, ac nodi ad partem affectam ſeu tubercula enaſcuntur, quæ temporis ſucceſſu ſuppurata, calciformem tophaceam fundunt materiam, vocatur arthritis nodoſa & plerumque ſatis cito cum nephriticis doloribus iungitur, ſicque calamitatem omni ex parte perfectam reddit.

§. XXXIIII.

Pars ſubiecta in arthritide ſunt ligamenta, quibus articuli deuinciuntur, per quæ, vtpote tenſioris & ſtrictioris ſtructuræ, humores difficilem progreſſum ſemper habent, qui vero difficilior redditur, quando per ætatem caua fibrarum minus fiunt patula, ipſique humores effœti fæceque terreſtri multa permiſcentur.

§. XXXV.

Cauſa proxima eſt ſtagnatio humorum, qui tam ob lentorem ſuum, quam ob viarum anguſtiam non valent traiici, adeoque ſtagnant & expandunt fibras, easque rigidas reddunt, ad quem ſtatum redactæ ipſa moræ diuturnitate dolere incipiunt: a tergo ſubſequentes & prementes augent expanſionem, rigiditatem, dolorem, donec vel per anguſtias illas transpreſſæ ſunt, vel terreſtria tophacea materia per diſruptas fibras effluit & deinde ſuppuratione ſui generis excluditur.

§. XXXVI.

Cauſa antecedens eſt humorum lentor, & via-

rum anguſtia, quo accedere videtur ſingularis conſtitutio aëris, eo præciſe tempore, quo mouetur morbus, humores afficiens, expandens & ſolito vel impetuoſius vel profundius impellens.

§. XXXVII.

Cauſæ procatarcticæ ſunt, ætas, vitæ genus varium, mox deſes & luxurioſum, mox laboribus defatigantibus ſimul ſuſcipiendis & peragendis, mox autem ſubito abrumpendis, deditum, compotationes meracorum potuum, ♀ei exceſſus, iracundia, frigoris inſoliti tolerantia, diſpoſitio hæreditaria, contagium.

§. XXXVIII.

Lentor & 🜄reitas humorum vix diu in arthriticis toleratur, quin ſe ad renes conuertat & nephritidem calculoſam producat: vbi autem ad pulmones vergit, aſthmata difficillima ibidem producit, nec raro cum calculoſis excretionibus obſeruata.

SECTIO VII.

DE MORBIS SPASMODICIS ET CONVVLSIVIS, CETERISQVE ANIMALES FVNCTIONES LAEDENTIBVS.

§. I.

Animales functiones ſunt tam illæ, quæ ad motum ex animæ arbitrio peragendum pertinent, quam quæ rationalem facultatem eique ſubſeruientes reſpiciunt, vt phantaſiam, memoriam, iudicium.

§. II.

Prioris generis læſiones habendæ ſunt, quando motiones artuum ad animæ arbitrium plane non fiunt, vt in paralyſi, vel deprauati fiunt, vt in tremore artuum, vel omnino iniuſſu eius peraguntur, vt in epilepſia.

§. III.

Parum exquiſitam hic eſſe cognitionem ætiologicam futuram, facile exiſtimaturus eſt, qui ex phyſiologicis meminerit, quod coniunctionis animæ & corporis abſtruſiſſimæ ſint rationes, & tantum per hypotheſes, inter ipſos philoſophos vexatiſſimas, de hoc negotio diſputetur potius quam doceatur.

§. IIII.

Certum etiam eſt, quod ipſa hiſtoria iſtorum affectuum apud multos auctores haud vno tradatur ore, & apud ægrotos ipſos verſantium quisque fere obſeruat aliqua a prioribus vel omnino non notata, vel non eodem modo conſignata, vt ſic etiam ea, vnde proficiſci ratiocinatio debebat, non firma ſatis conſtent.

§. V.

Motus partium voluntarius omnino ablatus per aliquot corporis regiones & membra occurrit, vocaturque paralyſis, latine reſolutio.

§. VI.

Raro non ſimul illa pars reſoluta, aut illæ partes ſenſum amiſerunt & flaccidæ pendulæque apparent, manifeſto argumento deficientis nutritionis. Quamquam aliquæ ſunt partes, vbi ſenſui ac motui diuerſi nerui dati, in quibus fieri poteſt, vt alterutrum ſaluo altero auferatur. Quin in artubus anæſtheſiam ſæpius notarunt medici ſalua facultate loco motiua per omnem fere vitam, quod quidem ex neruorum doctrina intelligere licet.

§. VII.

Vix vnquam in notabili ſpatio corporis percipitur, niſi prægreſſo inſultu apoplectico vel violenta cauſa, vt lapſu, percuſſione, vulnere, diſtorſione, grauiſſimo dolore aut frigore externo.

§ VIII.

§. VIII.

Iuuat igitur ſtatim comprehendere apoplexiæ phænomena, vt cauſæ vtriusque mali luculentius pateſcant.

§. VIIII.

Apoplexia eſt ſubita motus, ſæpiſſime etiam ſenſus, ablatio cum manifeſta ſanguinis ad caput congeſtione, ex rubore & inflatione conſpicua, pulſu magno & frequente, reſpiratione initio ſæpe libera, mox difficili & ſtertoroſa, artuum vnius lateris ſubinde agitatione, ſudore initio calido, mox frigido.

§. X.

Pro diuerſo ſui gradu diſpeſcitur in fortem & leuem, aut, vt aliis placuit, in leuem, fortem & fortiſſimam.

§. XI.

Leuis dicitur, quando æger quaſi profundo ſopore iacet oppreſſus, ſui non conſcius, neque facile excitandus, tamen excitatus aut ad ſe rediens nihil paralytici oſtendit, huiusque generis diuerſa ſunt nomina, vt carus, catochus, coma, lethargus, quorum aliqua ſunt ipſius apoplexiæ fortis præcurſores & prænuntia.

§. XII.

Fortis, quando ſimul ac ſemel proſtratus æger ad ſe tamen reuocatur, remanente vel ad tempus vel perpetuo hemiplexia, aut paralyſi particulari,

ſæpe imminutione aut abolitione memoriæ iudiciique.

§. XIII.

Fortiſſima demum illa, quando homo vel illico mortuus cadit, vel cum difficillima reſpiratione, quæ ſenſim imminuitur, vt penitus commoriatur.

§. XIIII.

Cauſa proxima apoplexiæ eſt principii neruorum compreſſio, vt nihil eius fluidi, quo ad ſenſum motumque opus eſt, ad partes venire poſſit.

§. XV.

Compreſſionem hanc efficiens, qualecunque demum id ſit, locum cauſæ antecedentis propinquæ ſuſtinet, poteſtque eſſe varium & multiplex, vt primo ſanguinis ad caput reſtagnatio, vbi vaſa oppleta & vltra diametrum valde extenſa in loco, qui ob durum parietem cedere neſcit, partem medullarem non poteſt non premere.

§. XVI.

Talem ſanguinis reſtagnationem producere poſſunt inferioribus partibus inductæ ſtricturæ pertinaciores, frigus inferiorum partium, & cum his concurrens vſus vel abuſus alimentorum vel medicamentorum expanſiuorum & inebriantium, tranſitus ſanguinis per pulmones a quacunque cauſa impeditus, vt vapore 🜍eo aut carbonum, conſtrictis faucibus, arctiori ligatura colli.

§. XVII.

Hactenus vidimus compreſſionem a ſanguine in vaſis hærente. An ex parte lymphæ ſuis vaſis incluſæ idem poſſit euenire, obſcurius eſt, cum pauciſſimi ſint, qui lymphatica vaſa in cerebro ſe vidiſſe confidenter aſſerere potuerint, plerique ſe excuſant vere magna difficultate huius demonſtrationis, quam vnusquisque expertus facile admittet.

§. XVIII.

Sed tam ſanguis, quam lympha extrauaſata ſecundum locum inter cauſas antecedentes tenet, ſæpeque ſectionis beneficio ſunt detectæ, vel inter cranium & duram matrem, vel inter duram & piam matrem, aut denique in ventriculis cerebri ſubſiſtentes.

§. XVIIII.

Lymphæ eius limpidiſſimæ & puriſſimæ multas libras ipſemet in puero, ni fallor, duodecenni hic Halæ 1705. ſectione detexi, cuius caſus deſcriptio exſtat in diſſertat. Altorfina de apoplexia ex hæmorrhoidum inconſulta ſuppreſſione 1723. habita §. XXVII. ibi ſimul plures parallelos adduxi, quibus edocemur, quod non tam copia extrauaſati, quam loci amplius cedere neſcientis conditio, euentum lethalem inferat.

§. XX.

Infert autem extrauaſationem prægreſſa conti-

nui

nui ſolutio a vulnere, contuſione & concuſſione cerebri, vaſorum magna expanſione, ab humorum prægreſſa detentione, apoſtemate, tuſſi vehementiſſima, vt & ſternutationibus crebris & vehementibus, nec non vomendi conatibus efferatis.

§. XXI.

Tertium locum inter cauſas antecedentes tenet cranii depreſſio a cauſa violenta facta, qua durante homines ſine ſenſu motuque iacent, remota & correcta ad ſeſe illico redituri.

§. XXII.

Supereſt alia cauſa apoplexiæ prioribus fere contraria, a nimia exinanitione & humoribus laudabilibus valde exhauſtis, vt ſanguine nimis profuſo, ſpermate, in coitu repetito, prodige exhauſto.

§. XXIII.

Difficilius cognoſcitur modus, quo hunc morbum hæc cauſa excludat. In humorum autem nimia iactura manifeſtum eſt, quod ſanguinis exigua, quæ præſto eſt, copia, non ſufficiat vaſis ſatis expandendis & replendis, & quod ſeorſim ille, qui ad caput ſurſum pellendus eſt, & tarde & difficulter eo veniat, nec ſufficiat vis per tenuiſſima corticalis ſubſtantiæ vaſcula eum propreſſura: cumque ipſum illud, quod neruis tradere debent, ſit delibatiſſima ſanguinis portio, parum eius in magna anhæmia ſuppetere debere, per ſe intelligitur.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Deinde ex parte tranſitus ex minutiſſimis arteriolis in venulas intelligitur magna difficultas; cum ſe diametri vaſorum habeant ad vim, qua contenti humores ea diſtendunt & dilatant, quam eſſe exiguam debere facile patet in humorum magna & ſubita profuſione. Cumque tali caſu adſtringentibus & ſtypticis raro parcatur, eorum etiam culpa diametri amplius ſtringuntur & anguſtantur, ſicque iam antea difficilem progreſſum & tranſitum difficiliorem, immo difficillimum reddunt.

§. XXV.

Quodſi iam cauſæ illæ antecedentes tales ſint, vt impetus earum quidem frangi & imminui, ipſe tamen effectus in capite productus omnino tolli non poſſit, reſolutio neruorum, quam paralyſin græco nomine vocant, remanet.

§. XXVI.

Illius cauſa aliquando in capite nulla reſidet, ſed tantum in ſpinali medulla, ſi illa luxata, compreſſa, fracta ſit, adeoque abſolute affirmari non poteſt, quod omnis paralyſis prægreſſam apoplexiam habuerit, ſed longe plurimæ paralyſes, quæ non prægreſſa violentia externa accidunt, prægreſſam apoplexiam oſtendunt.

§. XXVII.

Antiqui iam cognouerunt & inculcarunt, quod in dextra parte reſolutis, cauſa in oppoſita ſiniſtra

quæ-

quærenda ſit, ſiniſtra autem reſoluta, in oppoſita dextra: quoniam fibræ, quæ neruorum ſtamina conſtituunt, cruciatim ſeſe ſecant, quod chiasmum vocant: quæ doctrina aliquibus ex recentioribus non diſplicet.

§. XXVIII.

Læſi motus, non omnino ſublati, ſpecimen habemus in tremore artuum, vel capitis, quo aliqui perpetuo laborant, alii temporario.

§. XXVIIII.

Sic ſunt, qui caput irrequieto motu agitant nec valent vno ſitu detinere; aliis manus tremunt, vt vix cochleari ſumtum iuſculum aut plenum ſcyphum absque effuſione ori admouere valeant, hocque vel a pueritiæ annis, vel ab ineunte iuuentute paſſi ſunt.

§. XXX.

Senibus alias ſatis frequens eſt hic affectus, quibus & greſſus titubat, vt admodum difficili inceſſu vtantur. Quibusdam, apoplexia ſuperata, hoc incommodum ſupereſt.

§. XXXI.

Temporarium tremorem oſtendunt homines ebrii & ab heſterna crapula nondum ſatis liberati, ira perciti, & aliqui, quando infuſum coffée ſaturatius biberunt, quo caſu plerumque magna anxietas moralis, cuius cauſam indicare nullam poſſunt,

ſunt, coniuncta eſſe ſolet cum palpitatione cordis & ſubſequente ſudore, quo fere ſolent liberari.

§. XXXII.

Quæ vero ſit cauſa tremoris, ſatis obſcurum eſt, ob illam potiſſimum rationem, quia modum, quo motus voluntarius peragitur, non liquido cognoſcere licet. Inſtrumentum motus eſt muſculus, neruo ſuo & vaſis arterioſis & venoſis rite inſtructus. Muſculi per tendines trahunt partem mouendam. In tendines vero non video, quod ſufficienti ratione reiicere culpam poſſimus. Illis enim non tribui poteſt influxus materiæ cuiusdam vim motricem afferentis, quærenda igitur erit in toto muſculo, ſeu fibroſo-muſculari parte.

§. XXXIII.

An autem fibræ non legitime moueant tendinem nerui, arteriæ aut venæ vitio, an ſingulorum ſimul culpa, arduum definitu videtur. Influens ſanguis in fibram motricem, eius ſpatia replet & replendo abbreuiat, rigidam & contractam facit, ſed ad hoc videtur neceſſario requiri duplex conditio: 1. vt ſit ad nutum voluntatis liber c debita proportione dimenſus influxus, & 2. reditus per venas tantiſper ſuſpendatur, quamdiu fibra rigida & tenſa opus eſt. Aut igitur vitium eſt in influxu non libero, ſed interrupto, aut in retentione non ſufficiente, aut denique in ipſius

influentis vitio, quatenus illud non præditum eſt debitis requiſitis.

§. XXXIIII.

Influentis vitium arguere poſſe videtur id, quod coffée potatoribus accidit a potu, qui aut diluente, aut ſpirituoſo ſumto mox melius habent: item crapula laborantium, qui moderate poto vino ſanantur. Vitium venæ, intempeſtiue elabi ſinentis, arguere poteſt cogitatio eius, quod de erectione & flacceſcentia penis in anatome diſcimus: de nerui vitio cogitare cogimur exemplo illorum, quibus ab apoplexiæ inſultu malum ſupereſt.

§. XXXV.

Manet igitur abſtruſa cauſa & vix bene & plene perceptibilis: nec mirum, ſi in aliquibus medelæ ſtudium non reſpondet voluntati ac deſiderio, vtique in illis, qui longinquitate durationis habitum aliquem conſuetudinalem contraxere: quali fundamento innixi motus per ſe ſatis multum pertinaciæ coniunctum habere ſolent, vt multis exemplis conſtat.

§. XXXVI.

Progredimur ad motus conuulſiuos. Spaſmus latine conuulſio, eſt actionum animalium tale vitium, quo nunc totum corpus, nunc certa membra motu inuoluntario violento corripiuntur, trahuntur ac obrigeſcunt, vt ſi in naturalem modum vi aliqua adhibita reducere coneris, citius totum membrum frangas, quam illud efficias.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Vel vniuerſalis eſt totius corporis, quo referuntur græcis nominibus diſtinctæ tres ſpecies, emproſthotonus, opiſthotonus, tetanus; vel particularis, vt ſpaſmus cynicus, riſus ſardonius, hiatus oris ſpaſmodicus, maxillæ inferioris conuulſio & hinc os clauſum: denique vagus, ſeu flatulentus, obſeruatur.

§. XXXVIII.

Alia conuulſionum ſpecies, his, quæ tonicæ, i. e. rigidæ & extenſoriæ vocantur, oppoſita, dicitur clonica ſeu agitatoria, cuius ſpecimen triſte & frequens ſiſtunt epileptici.

§. XXXVIIII.

Non vno modo huius nominis affectus obueniunt, nec in noſtris regionibus eodem vehementiæ gradu, quem veteres Græciæ medici adnotarunt, obſeruantur, aliquando & in vehementiſſimo gradu plerumque ſimul ſenſus & motus auferuntur in emproſthotono, opiſthotono & tetano Græcorum, quales Aretæus deſcripſit acutorum lib. I. Itemque epilepticorum vix milleſimus erit, qui non ſenſum & conſcientiam eorum, quæ ſibi accidunt, durante paroxyſmo amittat: memini tamen, me vidiſſe hominem nullo excogitabili modo ſuſpectum fraudis vel impoſturæ, qui durante paroxyſmo ſenſus & cogitationum indicia manifeſta præbebat.

§. XXXX.

Quin ſolent prorſus implicati & abſtruſi tales affectus obuenire, vbi animi quidam motus ſingulares corporis coniunguntur motibus, vt doctiſſimi & attentiſſimi viri ſubinde ambigant, verene morboſum quid aut malitioſum adſit, & ſi malitia adſit, annon tamen prægreſſa imaginationis vitia maiorem culpæ partem ſuſtineant. Seorſim id obſeruatum eſt, quod iſtiusmodi mala longe frequentiora fiant & difficilius curentur, quamdiu adſunt, qui morbum admirantur multumque ſollicitudinis quocunque modo oſtendunt; cum e contrario mox minuatur & vincatur, quamprimum & contemtus & ſeueritas quædam moralis adhibetur, quod non ſolum patuit Annebergenſium diuturno morbo, quam D. Höpfnerus deſcripſit, verum etiam magna ex parte cognitum fuit in illis, qui noſtra memoria magnas Germaniæ prouincias turbauerunt inſpiratorum, vt ſe habebant, variis & intricatis negotiis, tam de animæ, quam corporis ſtatu admodum extraordinario teſtantibus.

§. XXXXI.

Sed hæc mittimus, progredimur ad illum ſtatum, vbi in motibus corporis nihil conſpicuum animaduertitur, facultas autem rationalis valde perturbata, læſa & deprauata eſt, cuius generis varii dantur gradus & diſcrimina notabilia. Sunt enim, qui circa omnia inſaniunt & delirant, quod vitii genus vocamus maniam; alii non omnibus in rebus

rebus aberrant iudicio, ſed circa certas tamen res, & quaſi propoſitiones logicas ita inuincibiliter errant, vt nullo argumentorum & perſuaſionum genere poſſint ab errore ſuo abduci.

§. XXXXII.

In vtroque genere obſeruantur varietates non vnius generis, præcipue reſpectu temporis. Sunt enim, qui certis menſibus mente capti ſunt, præcipue calidiſſimis. Viſæ quoque ſunt mulieres, quæ toto geſtationis tempore vel omnino deliræ, vel per lucida interualla tales fuerunt, & virgines, quæ inſtante tantum menſium fluxu delirarunt, illo recte ſuccedente, liberatæ fuerunt. Atque qui talia mala habent, plerumque a ſimili morbo laborantibus generati ſunt, atque in poteros eandem malam hæreditatem transmittunt.

§. XXXXIII.

His miſeriores ſunt homines prorſus fatui, quorum iterum dantur alii plus, alii minus miſeri. Iam cum ſint inter eos, quos a brutis nihil præter ſpeciem humanam diſtinguat, his certe feliciores ſunt, qui ad aliquam honeſtatis ſpeciem adſueſcunt, & aliqualem ſelectum inter bonum & malum oſtendunt.

§. XXXXIIII.

Denique dantur & longe quidem frequentiſſime, qui prægreſſis variis integræ valetudinis læſionibus in pathemata hypochondriaca & hyſterica

inciderunt indeque ſic dictam melancholiam hy-pochondriacam contraxerunt, vnde actiones animales diuerſiſſimo modo lædi ſubinde ſolent, vt præter rationem iuſtam valde ſæpe triſtes, ſuſpicaces, aliquando autem ſine ratione & lege iucundiores, in cachinnum & riſum diffuſi, inueniantur, huiusque ſuæ vel triſtitiæ, vel hilaritatis, nullam cauſam proferre poſſunt, quæ recta ratione v[illegible]tentibus ſatisfaciat.

§. XXXXV.

Ab hoc gradu multos ad maniam plenam per-ueniſſe, ita vt perpetuo, vel per lucida interualla delirarent, triſtibus exemplis non vnius generis edoctus ſum & quemque conuincere poterunt obſeruationum ſcriptores. Supereſt itaque, vt, quantum in tam abſtruſo negotio licet cauſas phyſicas indagemus, quo ſcrutinio iuuabimur ad inueniendum, quo pacto ſuccurri poſſit patientibus talia, quorum ſatis multi per Dei gratiam reſtituuntur a medicis, quamquam ſat quoque multi ſuperſunt, vbi omnibus præſidiis fruſtra pugnatur.

§. XXXXVI.

Fateor, nihil in tota medicina eſſe abſtruſius & in ætiologia danda inuentu difficilius, quam inuenire nexum illum cauſalem, qui inter corpus & animam intercedit, ita vt mens alacrior, confidentior, rurſusque pigrior torpidiorque reddi poſſit per cauſas mere materiales, e. g. vinum hyoſcy[illegible]

hyoſcyamum, opium, cicutam, mandragoram aliaque ſimilia, ex quo intelligitur, humorum noſtrorum tam mixtionem, quam circuitum, valere in actiones animi certo modo alterandas, etſi cauſalis nexus, quantum mihi quidem videtur, imperſcrutabilis eſt.

§. XXXXVII.

Sed non ſolum fluida corporis noſtri cauſam præbere poſſunt, cur actiones animales alterentur & peruertantur, verum videtur quoque mihi, certa organica dari vitia, adeoque in partibus firmis conſiſtentia, quæ vitium animali facultati inferunt. Sic hominem ſecui ad vigeſimum ætatis vsque annum ſanæ mentis, qui vero ab illo tempore, quo ſcabiem humidam ☿is externo vſu retropulerat, incipiebat ſigna manifeſta corruptæ mentis prodere, cantillando & ridendo non ſolum præter conſuetudinem, verum etiam vbi nunquam id auſus fuiſſet, dum integra mente vtebatur. Ab hoc initio longius progrediebatur ipſius furor, vt ſæpe ex coetu ſtudioſorum quouis ceruo alacrius aufugeret, per forum & plateas citatiſſimo curſu ſe proriperet in patentem campum, donec præ halitu deficiente concideret. Paucis dicam, omnia intempeſtiue & impetuoſe per integrum annum agebat, quo exacto mortuus & anatomico cultro ſubiectus, ſcabiem per omnia abdominis interna oſtendebat & in vnum coalita cum peritonæo omentum, cum omento inteſtina, cum diaphragmate hepar, cum hepate ventriculum,

lum, hunc porro cum liene & inteſtinis, vt nihil horum ſine cultri ope disiungi poſſet tabumque ſcabioſum vbicunque interflueret.

§. XXXXVIII.

Simile huic ſuperior ann. 1734. in theatro noſtro anatomico Halenſi viſum fuit, vbi cum peritonæo omentum, ventriculus etiam cum viciniis præternaturaliter coaluerat, præſentibus & conſpicuis in peritonæo puſtulis albis, atque hoc animaduerſum fuit in femina, quam non ſanæ mentis fuiſſe ſatis conſtat. Porro mihi notus eſt vir honoratus, qui in pueritia hydrope laborauit, ab illo autem liberatus plerumque melancholicus, virilem autem ætatem adeptus, ſubinde maniacus factus fuit, quoties vel profundius mœruit, vel effuſius gauiſus eſt. In quo quidem mihi veriſimillimum videtur, lymphatica vaſa olim perrupta cum vicina quacunque parte coaluiſſe, huncque coalitum præternaturalem cauſam ſuſtinere tam frequentis in actionibus animalibus peruerſionis.

§. XXXXVIIII.

Memini, me etiam Altorffii ſecuiſſe hominem magis fatuum, quam inſanientem, in cuius cerebro quantumuis accurata diligentia requiſitam glandulam pinealem prorſus non inueniebam, neque veſtigium illius vllum oculis deſignare licebat, cui non diſſimile fuiſſe viſum in eadem femina hic diſſecta, de qua antea retuli, accepimus.

§. L.

§. L.

Enimuero quid ſit id, quod facit, vt poſt malæ conformationis vitia animalis facultatis peruerſio conſequatur, de eo malo ingenue ignorantiam meam profiteri, quam aliquid dicere, quod mihi ipſi non ſatisfacere, optime mihi ſum conſcius. Plane autem perſuaſum habeo, alios, quaſcunque ſequantur hypotheſes, non plus valere in ætiologia iſta ſuppeditanda, quamdiu neſcimus eſſentiam animæ modumque, quo corpori coniuncta eſt.

SECTIO VIII.

DE CAVSIS MORBORVM REMOTIORIBVS, SEV PROCATARCTICIS.

§. I.

Morbi, qui ſponte oriuntur, nunquam ex vna ſola cauſa fiunt, ſed plerumque notabilis eſt concurſus plurimarum cauſarum, quæ partim in nobis ſunt & generantur, partim exterius adueniunt. Priora ſolemus vocare res naturales, quæ in ipſa corporum, quoad ſolidorum & fluidorum ſecundum ætates & indiuiduales hominum proprietates, conſtitutione quæri debent, ſed de his in ſuperioribus ſæpius eſt dictum. Poſteriora iſta, quæ conſideranda ſola ſuperſunt,

perſunt, rerum non-naturalium nomine antiquitus recepto cenſere ſolemus. Ratio denominationis eſt, quod talia non in ipſo corpore noſtro naſcuntur, ſed exterius adueniunt.

§. II.

Pleno iure huc pertinent ſequentia 1) aër, 2) cibus & potus, vt & medicamenta, 3) motus & quies. Atque hæc ſola antiquitus fuere nomen rerum non naturalium conſecuta. Acceſſerunt autem hiſce, per modum appendicis huc a poſterioribus relata, 4) ſomnus & vigilia, 5) excreta & retenta, 6) animi pathemata. Atque hæc ſex momenta totidem ſubſectionibus erunt nunc pertractanda.

SVBSECTIO I.

DE

A E R E.

§. I.

In aëre obueniunt qualitates quædam, quibus ſtatus eius diuerſo tempore variatur, ſcilicet frigus, calor, humiditas, ſiccitas, atque ex his emergentes quædam ſpecies compoſitæ, vt quando frigus vel ſiccum eſt, vel humidum, aut calor vel ſiccus, vel humidus. Ipſemet quoque defectus aëris homini nocere poteſt: tandem quoque impuritas aëris, ad varia vitia œconomiæ vitali

tali inferenda, admodum efficax deprehenditur, cumque aëris ſtatus raro quietus ſit, ſed plerumque moueatur, modo maiori, modo minori vehementia, isque motus ventorum nomine veniat: conſequitur, ventorum conſiderationem nobis etiam eſſe inſtituendam.

§. II.

Defectus aëris omnimodus vitam animalis, quod in aëre verſari debet, omnino auffert, idque hominibus vix aliter accidit, quam vbi viæ ad organum reſpiratorium occluſæ ſunt, ſiue a tumore aliquo rimam glottidis comprimente, quod fit in angina, ſiue a cauſa exterius conſtringente & ſtrangulante, quod patiuntur illi, qui ſtrangulationem ſubire debent, ſiue denique homo aut animal demittatur in locum, quo aër excluditur, vt fit in ▽ ſubmerſis.

§. III.

Vnus idemque modus eſt, quo hi, per diuerſas vias ad mortem deducti decedunt, ſcil. quum aër pulmones ſubire eosque expandere nequeat, ceſſat hinc ſanguinis circulatio minor, ſeu trajectus iſte, qui eſt a ventriculo cordis dextro per pulmones ad ſiniſtrum. Iſto ceſſante, ſanguis, qui redit per vaſa ad cor, ſubſiſtit, interimque a tergo ſubſequens vaſa expandit; quod, dum fit in cerebro, ibi producit preſſionem, qua vltimæ & tenuiſſimæ fibræ medullares, vnde neruorum ſunt initia, omnino comprimuntur, vt nullus de-

tur

tur in neruos influxus. Hincque perit primo ſenſus, deinde motus, &, niſi in tempore ſubueniatur, ipſa vita.

§. IIII.

Frigus aëri permixtum, vt ſenſibili modo illud percipiamus, non videtur ſolum eſſe priuatio caloris, ſed poſitiuum aliquid eſſe, quod partim pendet a motu aëris concitatiore, partim a particulis glacialibus & niualibus, quas aër ita commotus e regionibus montanis, glacie rigentibus & niue obtectis, alicubi abripuit & ad nos cum impetu deuehit, ſed de hoc plura dicenda ſunt, vbi ventos conſiderabimus. Aliquibus hic placent particulæ nitroſæ ⊖linæ, quas ſtatuunt variis experimentis adducti.

§. V.

Sed hæ phyſicis & chymicis experimentalibus permittuntur: nos ab experientia ſcimus, quod frigus intenſum humores corporis noſtri, præcipue quando quieſcimus, aut non proportionate mouemur, condenſare & in duritiem inſtar glaciei redigere valeat, quodque ipſa ſolida tunc reddantur valde fragilia, rigida, ſic, vt vel rudius contacta membra, plane decidant, vel ſuperueniente ſubito calore, impulſi humores perrumpant, vnde enaſcuntur puſtulæ, atque pars non ſecus alteratur, quam fit in illis, qui maiori caloris gradu combuſti ſunt, vnde iam olim latini æque de frigore ac de calore dicunt, quod nos vrat.

§. VI.

§. VI.

Atque hæc facit frigus intenſum & exceſſiuum, nudo corpori aut tenuiter munito diutius allapſum, ſed & non intenſiſſimum, ſi diutius perferatur, ſanam corporis conſtitutionem affligere ſolet, pellendo humores a ſuperficie ad interiora, vnde in hominibus plethoricis congeſtiones grauiſſimæ accidunt. Præcipue tunc inclinantur ad ſoporem profundum, cui nunquam ſine periculo indulgetur. Quodſi quis corpore quieſcente frigus magnum diutius pertulit, præſentiſſime poteſt lædi potu vini auidius ingeſto, a quo gelatinoſa portio maſſæ humorum noſtrorum celeriter coagulatur, vt inde polypi poſſint quaſi in inſtanti naſci, vix vlla arte deinceps reſolubiles.

§. VII.

Qui diutius magna frigora perferunt, redduntur inde rheumatiſmis & arthritidi obnoxii, quorum ſat multa exempla tam in libris, quam in vita occurrunt. Ratio huius euentus videtur, quod ſub iſta, quam gelu affert, conſtrictione, & quaſi conglaciatione humorum, tam ipſi in ſua craſi alterantur, quam partes ſolidæ, per quas ferri debent, aliquam organicam deprauationem ſubeunt, verbis vix exprimendam, quam tamen oculis intueri licet, in pernionibus. Nec parum hic facit, quod ſub tali ſtatu coaceruantur in corpore impuritates, omnibus quippe excretionibus ceſſantibus.

§. VIII.

§. VIII.

Atque hæc dicta potentius eueniunt in frigore ſicco, ventis flantibus ab orientali regione, aut a ſeptentrionibus. Sed frigus humidum, id eſt, quando nebulæ, pluuiæ, niues, aërem humidum reddunt, in genere quidem nunquam tam eſt intenſum, quam ſiccum; ſed in partes corporis noſtri ſolidas maxime agit, eas ſimul condenſando & conſtringendo, vnde per clauſos poros minus etiam, quam ſub frigore ſicco, tranſpiramus. Hinc fit, vt impura in humoribus, vnde alias exhalatura erant, eo aceruentur, humores quoque ad interiora detineantur, vnde affectus catarrhales, rheumatici, deinde etiam exanthematici, porro in inflammatorium ſtatum abeuntes, vt pleuritides, anginæ, tunc potiſſimum obſeruantur, quando aëre humido-frigido circumfundimur.

§. VIIII.

His de frigore dictis, illico ſubiicimus conſiderationem caloris, qualis ille & quantus eſſe ſolet in aëre. Multa de hoc argumento erudite diſſerit celeb. vir, Hermannus Bœrhaaue, in P. I. element. chymiæ, vbi docet, quo pacto gradus caloris determinare liceat, & quousque aſcendat calor humano corpori tolerabilis, quæ apud ipſum relegere omnino iuuabit.

§. X.

Calor quiuis corpori per aërem allatus, vel ſiccus eſt, vel humidus. Calor ſiccus in humores

noſtros

noſtros agit, quamdiu moderatus eſt, eos expandendo, qui effectus vocatur orgasmus, ſeu turgeſcentia, atque efficit, vt idem humor, qui antea certo ſpatio bene continebatur, nunc ita turgens maius ſpatium requirat. Quodſi itaque vaſa nondum ſunt ſuperonerata, facile ad tempus hoc patimur. Si iam ante ſumme repleta ſint, anxietatem quandam & grauitatem corporis perſentimus, difficillimamque reſpirationem, quin nonnunquam vaſa perrumpuntur, aut anaſtomoſin patiuntur, ex quo hæmorrhagias conſequi neceſſarium eſt. Vbi diutius intenſum calorem pertulerunt partes multa lympha perfuſæ, illa inſpiſſatur & ad motum inepta redditur, vnde fit, vt ſerum fluidius abſcedat, inque veſiculas, quæ phlyctænæ vocantur, colligatur, aut in interioribus partibus ſtagnans, obſtructionum chronicarum origines prodeant.

§. XI.

Calor humidus agit, ſi moderatus eſt & non diu nobis allabitur, ſolidas partes omnes relaxando & rigiditatem auferendo, ex quo fit, vt humores facilius vsque ad extrema vaſorum exiguorum penetrent, eaque impleant & expandant, vnde habitus corporis fit plenior, tranſpiratio intenditur & ad ſudorem vsque augetur. Quodſi vero diutius hic ſtatus manet, non ſolum multa per ſudorem diſſlantur, verum etiam ipſæ ſolidæ partes qua ſuperficiem ſuam denſantur, porique ſic conniuent, vt tranſpiratio ſupprimatur,

vnde

vnde fit, vt ſub cuticula ſæpe ſubſiſtant humores exitu prohibiti, & exanthematum genus producant, quod ſudaminum nomine ab antiquis deſignatur.

§. XII.

Talis aër corpora diu in illo verſata ſeque laborioſe mouentia ſenſibili modo debilitat, diſſlata in auras, aut per ſudorem exhauſta, optima humiditate. De reliquo vix vnquam eſt talis omnino purus, ſed imbutus multis effluuiis, quæ pro diuerſa ſua indole aliquando iuuant, ſæpe grauiſſime nocent, de quo poſtea plura dicam. Etiam hic vel duobus verbis notamus, per accidens talem aërem nocere, quando quis ſe illico exponit frigido-humido, tantoque magis frigida-humida profundius penetrant.

§. XIII.

Vt aëris frigidi & calidi effectus ſatis potentes ſunt ad corporis noſtri ſtatum alterandum; ſic notabiles ſunt effectus viciſſitudinum aëris, a calore vel frigore notabiliter affecti. Calor humidus, quem ſiccus calor excipit, nihil magnopere lædit, ſed frigus humidum ſubito ſuccedens diſponit ad catarrhos, &, ſi viciſſitudo crebrius accidat, valet ad febres intermittentes, quæ ſæpe aliquid trahunt ſecum plus vel minus malignum, ſaltem primis diebus. Id ſolemus vocare epidemium, iamque a Sydenhamo, & poſt illum ab aliis obſeruatum & inculcatum eſt, quod fere ſingulis

gulis annis talia varient, non ſolum per regiones, ſed per ſingula loca, ſecundum eorum poſitum ad plagas, maioremque, vel minorem diſpoſitionem, ad aërem hunc vel illum ſuſcipiendum.

§. XIII.

Ex aëris conſtitutione fluit temporum anni ad morbos quosdam producendos, fouendos, aut exaſperandos, magna efficacia, quam parens ille medicinæ, Hippocrates, multis locis inculcat. Præcipue videri debet aphoriſmorum ſect. 3. Hyems, quando eſt rigidiſſima, effectus edit frigoris ſicci; vbi lenior eſt & pluuiis interpolata, eueniunt, quæ a frigore humido expectari poſſunt. Aeſtas iam conſiſtens calorem affert ſiccum. Medium inter hyemem & æſtatem ſunt ver & auctumnus, cum illa differentia, vt ver quidem primum caloris humidi, ſæpe frigoribus interpolati, det documenta, adultius autem magis ad temperiem humidam & calidam accedat. Vnde initio veris adſcribenda ſunt, quæ de vere morbifero paſſim leguntur; conſiſtenti autem ea, quæ ſalubritatem verni temporis prædicant.

§. XIIII.

Sed auctumnus pariter quidem medium eſt inter æſtatem & hyemem, ſed cum eo, vt tranſitus ſit, ab amico & naturæ noſtræ conueniente ad minus amicum. Quippe calore indies decreſcente, frigus cum humiditate inualeſcunt, vnde grauiſſime luunt, qui illo tempore ægrotare inceperunt.

§. XV.

Progredimur nunc ad qualitates aëris noxias, quæ impuritatis nomine veniunt, conſiderandas. Illæ ſunt varii generis, feruntur enim in aëre & cum illo particulæ terreæ, calcareæ, ⊖linæ, 🜍reæ, hæcque vel ex regno animali, vel vegetabili originem trahentes, quin omnino vero videtur ſimile, aërem ſæpe animalculis minimis, aut eorum ſeminibus ſcatere, quæ cum aëre in corpus noſtrum transferuntur ibique potentem efficaciam exſerere valent.

§. XVI.

Effluuiorum terreſtrium aëri permixtorum multæ dantur ſpecies. Non enim ſolum iter facientes hoc frequentiſſime experiuntur, verum etiam molitores, ſtatuarii, gypſum vel calcem tractantes hoc experiuntur, itemque figuli, lithargyrium tractantes, cupreis vaſis parandis dediti opifices, metallurgi: de quorum morbis hinc in pulmonibus maxime enatis erudite egit Ramazzinus, Fr. de morbis artificum.

§. XVII.

Quod ⊖'ina aëri permixta ferantur, diſci poteſt, ſi quis dubitet, fortius decoquendo ſolutionem ⦶tri, aut ⊖lis communis. Facile enim magna quantitas in aërem diſſipatur. Similiter +di humores, vel fermentantes, vel △e tractati in 🜁em disiiciuntur, porroque ⊖linum eſt 🜍eo permixtum, quicquid ex vegetabilibus vel gra-

um, vel graueolens 🜁ri communicatur, quorum
ionnulla, vt opium fermentans, exhalationes croci
opioſæ, itemque radicis coronæ imperialis, ſam-
uci, ebuli, elleboraſtri, caput vehementer feriunt
: non raro mortem, frequentiſſime autem graues
ephalalgias, inducere ſolent.

§. XVIII.

🜍reæ exhalationes in 🜁rem emiſſæ vitæ ſani-
tique præcipue ſunt ſæpe periculoſæ. Tales
ıb 🜃a, vbi metalla ſunt, ſubinde feruntur, ne-
ue raro viſum eſt foſſoribus metallorum ingens
ericulum hinc fuiſſe creatum, quando in puteis
bterraneis vapores maligni prorumpunt, quos
ocant: Berg-Schwaden. Similes exhalationes
erpetuæ ſunt in quibusdam ſpecubus, & aliquan-
prorumpunt poſt 🜃æ motus, aëremque lon-
& late inficiunt peſtilente qualitate. Vbi au-
m metalla vſtulantur, funduntur, aut quocunque
odo tractantur, multum diſſipari per aërem talia,
calis etiam ſubſtantiæ, manifeſtum eſt. Sed
mmuniſſimum eſt exemplum noxæ 🜍-arum ex-
ılationum, in fumo ſeu vapore carbonum ligni,
i tanto magis pernitioſus eſt, vbi primo diffun-
ur loco clauſo, deinde quando tempus eſt fri-
liſſimum.

§. XVIIII.

Porro aër inquinatus eſſe poteſt & ſolet efflu-
s animalibus 🜔no 🜍reis, quæ plerumque ſunt
ſiua. Sic, quando multa inſecta generantur &

 in-

incumbunt vegetabilibus, & per noctem cadem
ros ab illorum etiam corporibus imbibit 🜔linum
iſtud, quod deinceps per radios ☉lares in aërem
rurſum pellitur, ſit, vt talis aër in corporibus pro-
ducat affectus puſtulares, acriter dolentes, inflam-
matorios, aphthas, dyſenteriam.

§. XX.

Inter impuritates aëris maxime noxias & per-
nitioſas referri debent illæ, quæ ex corporibus
putreſcentibus in eum mittuntur. Sunt enim
🜄oſæ, 🜍eo-🜔lino acri principio imbutæ, & non
raro ſeminiis animalium fœtæ, quæ deinceps i
corpus ſuſceptæ excluduntur, multiplicantur,
peſſimi moris febres contagioſas producunt. Pu-
treſcunt autem non ſolum vegetabilia, quorum
noxæ nec adeo ſunt conſiderabiles, verum maxi-
me animalia, ex quorum corporibus emanantes
fœtidiſſimæ exhalationes manifeſto experimen-
to hominis omnes vires ita reſoluunt, vt multi
lico in lipothymias incidant, ventriculi ſubuerſi-
onem patiantur, graues cephalalgias, quin febri-
les commotiones ab vnica tali cauſa perpetiantur.

§. XXI.

Tanto autem magis effluuia talia hominem a-
ficiunt, ſi loco humido & calido degit, talesque
particulas, ex putredine ortas & ad eam diſpo-
nentes, in corpus ſuum admittit. Hinc l
ca iſta præcipue periculum bonæ valetudi-
creant, quæ ſunt poſitus humilioris, & vbi aqu

ru

um ſtagnantium collectio eſt, quæ quando ra-
liis ☉ribus in motum inteſtinum abripiuntur,
nultas particulas in auras dimittunt, cumque
ales aquæ nunquam careant inſectis, quæ ſua o-
ula ibi deponunt, illa ſimul in aërem extolli &
entis hinc ad loca proxima diſſipari, experientia
locuit illuſtrem, quem laudaui, Lanciſium, ex
quo illud quoque fluit, quod integrarum regio-
ium vrbiumque ſalubritas vel inſalubritas pendeat
b iſtiusmodi cauſis, quodque arte & induſtria
nultum emendari hic poſſit, quod veteres viden-
ur adumbraſſe fabula de Hercule hydrum conſi-
iente, & de Apolline ſerpentem Pythium ſagit-
is ſuis interficiente.

§. XXII.

Talia effluuiorum genera, ab animalibus ſuſce-
ta, morbos producunt indoli ſuæ conformes,
utridos, id eſt, humores noſtros ad corruptio-
iem putredinoſam cito ſubeundam diſponentes.
Cumque agitatio & motus febrilis, qui ſe iunge-
e ſolet, continuo expellat e corporibus ita affe-
tis exhalationes plurimas, quæ atmoſphæram la-
oranti ſubiecto circumdatam ſubeunt, facile fit,
t ab hoc vno decumbente ad plures integros,
ui ad ipſum acceſſerunt, effluuia iſta dimanent,
ab ipſis vel corpore ſuo ſuſcipiantur, vel veſti-
nentis ipſorum inſinuata in aliam domum trans-
erantur, vt ſæpe breui tempore populoſa & fre-
uentiſſima vrbs ab vnico homine inficiatur. Sin-
ulare eſt hoc, quod ſub tali conſtitutione fre-

quenter obſeruari ſolet, ſæpe contagium iſtud graſſari inter homines, animalibus omnino integris: aliquando plus affici mares, quam fœminas, alio tempore fœminas præ maribus. Si inter animalia graſſatur, ſæpe equos corripi, bobus nil ſentientibus, alio tempore boues, integris equis, rurſusque alio oues tantum infeſtauit. Quod intuiti medici agnouerunt, venenum iſtud contagioſum ſpecificari in corporibus, ita vt non promiſcue omnia, ſed quæ maxima ſimilitudine ſunt, afficere queat. Quod vocabulum, quantumuis ignorantiæ profeſſionem tegit, tamen nondum licet euitare, quamdiu caremus harum tam abſtruſarum rerum clariſſima cognitione.

§, XXIII.

Atque hoc fere abſoluitur natura contagiorum, quam fruſtra ſunt, qui omnino negant dari, ſcilicet noſtro & patrum noſtrorum æuo plures medici laborarunt, vt omnino negarent exiſtentiam contagii, omnesque effectus, qui ſolent ipſi tribui, adſcripſerunt terrori & metui. Et quamquam minime nego, potentiſſimum eſſe terroris ac metus effectum, facile tamen poteſt probari pluribus exemplis, quod homines nullo terrore perculſi nihilque ſuſpicantes, noxas in ſe ſuſceperint, ſola vi contagii. Atque quum maxime hoc patet exemplo brutorum animalium, quibus tantam vim cogitandi, quæ ſe adiungit hominibus, nemo tribuerit.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Atque hæc fere ſunt, quæ de aëre morbifico dicenda viſa fuerunt. Quibus iſtud modo ſubiungimus, quod tanto vehementius lædantur his ab aëre pendentibus cauſis, quibus ſeſe adiungunt aliæ ex rerum non naturalium cenſu aberrationes. Sic nautæ, multis menſibus aëre humido-frigido & marinis exhalationibus repleto circumdati, quando inſuper victus accedit incongruus, ⊖litorum fumoque induratorum ciborum, potus aquarum corruptarum, motus a diuturnioribus tempeſtatibus, & propter illas continui & nimii, omnibus his tandem ita afficiuntur, vt ſæpe ex numeroſa multitudine vix tot ſuperſint, qui naui dirigendæ ſufficiunt: itemque in caſtris, quando, traiectus fluminum aut itineris per paludes muniendi cauſa, illa poſita ſunt in humidis & paludoſis regionibus, ſi accedat boni alimenti defectus, videmus morbos grauiſſimos breui tempore numeroſum exercitum peruadere, ſic vt in Italia & Hungaria veriſſimæ ſit obſeruationis, quod plures milites morbis abripiantur, quam ferro hoſtium conſumantur. Neque rarum eſt videre in captiuis, qui locis ſubterraneis detinentur, ob prauum aërem animique mœrorem & omnis motus defectum, graues morbos corpora eorum occupare.

SVBSECTIO II.

DE

CIBO ET POTV.

§. I.

In cibis & potibus multa ſunt, quæ morbis generandis fauent. Reuocabimus ſingula primo ad qualitatem, ſecundo quantitatem, tertio ad tempus, modum & ordinem aſſumendi.

§. II.

Qualitate nocent & morbum inducunt, quæcunque corrupta ſunt, & a ſua bonitate naturali diſceſſerunt. Referimus huc ex claſſe animalium carnes animalium morboſorum, aut ex ſanis quidem animalibus deſumtas, ſed longiori aſſeruatione corruptas, putridas, ſalſura & fumigatione nimia a ſtatu natiuæ bonitatis deiectas.

§. III.

Specialius nonnulla attingam. Ioh Scultetus obſeruationem poſuit de viro ſaniſſimo, qui iter forte faciens, in diuerſorio pagano non optimo, appoſitas carnes edit, quas non optimas eſſe ſtatim ſentiebat, ſed fame imperante largius aſſumebat. Domum redux totus leproſus fiebat. Exſtant multæ obſeruationes hominum male mulctatorum, ab eſu mytulorum morbidorum, vt & oſtrearum iam putreſcentium. Multi male mulctati ſunt, quando aues, vt coturnices & alaudas, lolio temulento paſtas, comederunt. Seorſimque memini

ni me vidiſſe aliquem, qui turdorum, baccis iuniperi paſtorum, ventriculos iucunde exſugebat, quod cum aliquando feciſſet & peſſime inde haberet, deſtitit amare has delicias. Nam iidem turdi auide depaſcuntur etiam fructus belladonnæ, ſeu ſolani furioſi.

§. IIII.

Non noxia, ſed proba alimenta ex animalibus, minus proba fiunt, quando ætate corrumpuntur, & aſſeruandi modo, tandemque quando nimis diu talibus ſolis victitandum eſt.

§. V.

Tranſimus ad vegetabilia, quæ inter multa ſunt poſitiue noxia, quibus homines ſæpe per errorem vtuntur, atque in grauiſſimos morbos vitæque periculum præcipitantur. Talia ſunt cicuta pro cheræfolio aſſumta, aut radices cicutæ aquaticæ pro rad. apii adhibitæ, vt & rad. hyoſcyami, apii radicibus intermixtæ. Huiusmodi errorum longum catalogum inſpicere licet apud cel. Wepfferum, in tract. de cicuta aquatica, itemque in Simonis Pauli digreſſione de febribus malignis.

§. VI.

Inter vegetabilia, quæ ſæpe nocuerunt & integras familias funditus exſtirparunt, referendi ſunt fungi. Certum eſt, eſſe inter illos aliquos venenatos, quos non facile aliquis diſtinguat a veſcis. Quare ſi vel pro veſcis aſſumuntur noxii iſti, vel inter bonos venenati ſimul aſſumuntur, magnum

valetudini periculum inde creatur. Laudanda eſt quarundam vrbium cautio, quæ non ſinunt fungos vendi, niſi inſpectos & probatos ab hominibus ad hanc curam publica auctoritate conſtitutis. An vero fieri poſſit frequenterque ſoleat, vt per ſe ſalubres fungi vel a rore, vel a reptilibus venenatis accipiant deleteriam qualitatem, in medio poſitum eſto.

§. VII.

Sæpe accidit, vt certis annis, præcipue vero humidioribus æſtatibus, inter ſegetes varia luxurient zizaniorum genera, & ipſæ fruges corrumpantur. Vnde accedit ſecali, vt multa grana excreſcant in cornicula longa & nigra. Sub eadem conſtitutione inter hordeum frequentiſſimum eſt lolium temulentum. Si vero accidit magna annonæ caritas, paupercula multitudo non adeo curat, vt frumentum ſuum ab hiſce alienis repurget; vnde ſit, vt a frumento tali corniculato paratus panis, ſæpe per integras regiones edat valde noxios effectus, quales aliquando Luſatiam & Vogtlandiam peruaſerunt, atque nomen acceperunt die Krübel-Kranckheit, cuius memoriam conſeruauit ſingulari ſcripto D. Budæus. Hordeum tali lolio permixtum, ſi cereuiſiis parandis adhibeatur, addit illis magnam efficaciam caput opplendi temulenta grauitate.

§. VIII.

Oleracea, quibus coctis & crudis per ♃taria

vtimur

vtimur (Salat) ſæpe valde noxia redduntur, quando multitudo eſt inſectorum, vt erucarum, quæ per iſta rependo exhalationes ſuas ⊖linas acerrimas & exulceratorias ipſis inducunt. Idem fit accedente auctumno, quando ros, qui per noctem decidit, a multitudine inſectorum imprægnatus fuit tali ⊖le corroſiuo cauſtico, vnde magna ex parte pendent dyſenteriæ, auctumno adpropinquante familiares. Eadem ratio poteſt efficere, vt fructus horæi multum de natiua ſalubritate deſciſcant omninoque noxii hominibus euadant.

§. VIIII.

In potulentorum generibus ſunt vina & varia cereuiſiarum genera, quorum infinita eſt varietas ac proinde multum diuerſa ratio ſalubritatis atque inſalubritatis ad quæuis indiuidua. Longiſſimum eſſet, ſi huic conſiderationi deberet pleniſſime ſatisfieri. quare ſumma tantum capita delibabimus & hoc reſpectu qualitatis.

§. X.

Optima & maximis viribus prædita vina fiunt noxia abuſu, ſi vel nimium ingurgitantur, vel non ſatis diluta, ſufficienti aquæ portione admixta. Huc pertinent maxime iſta vina generoſiſſima, quæ in calidioribus regionibus naſcuntur, vt Hungarica, Græca, Italica, præſertim Sicula, Hiſpanica, & ex inſulis Canarienſibus allata, quæ ſingula cum calor ambiens humiditatis maximam partem abstulerit,

tulerit, aut adiuuante arte in muſtis ablata eadem fuerit, multo magis quam noſtra dulcia ſunt, plus nutriunt & inflant, quam illa, quæ plus humidi habuerunt, adeoque per fermentationem fortiorem magis ſubtiliſata ſunt, & per corpus celerius vadunt, ac vrina vel tranſpiratione aucta expelluntur.

§. XI.

Vina per ſe bona mangonio ſæpe corrumpuntur, vt maxime fiant noxia. Horum recenſebimus illa, quæ in noſtris regionibus frequentius exercentur. Sæpius ſcilicet per Galliam & Germaniam male feriati homines auſi ſunt vina acidiuſcula emendare iniecto lithargyrio, quod dum acida vini pars promte adgreditur, non ſolum fit, vt acidum obtundatur, ſed etiam dulcedo quædam enaſcatur. Sed corporibus valde eſt noxia hæc adulteratio. Nam quicquid ſolutum eſt, eſt ipſiſſimum iſtud ſaccharum ♄ni, modo dilutum magna vini copia. Id vero in corpus delatum, poros & meatus tenuiſſimos conſtringendo, edit noxios effectus, inducendo colicas ſpaſmodicas, alui ſiccitates, aſthmata, paralyſin, contracturas, multosque plures chronicos morbos. Plura de hoc legantur apud Roſinum Lentilium in Iatromnematibus, atque conferatur exc. D. Zelleri diſſ. de docimaſia & noxis vini lithargyrio mangoniſati.

§. XII.

Infinita ſunt alia vinum adulterandi artificia, de quibus

quibus melius ex familiari conſuetudine œnopolarum, quam ex libris inſtitutio petitur. Nam plerumque artem in arcanis habent. Pertinent huc quoque lucri cupidorum hominum ſtudia, qui vina viliſſima dulcium aliquorum atque ſpiritus vini miſcela procurataque noua fermentatione generoſioribus reddunt ſimilia & magno deinceps pretio vendunt. Neque parum lædunt vina valde 🜍rata.

§. XIII.

Cereuiſiarum multa ſunt genera bonitate non paria. Coquuntur quibusdam locis tam craſſæ & ſaturatæ, vt hoc ipſo nomine nimiæ bonitatis valetudinem offendant, ſpiſſumque ſanguinem reddendo viam labefactandæ valetudini aperiant. Meliores itaque pro quotidiano vſu ſunt dilutiores, bene defæcatæ, quæ caput minime feriunt, & per vrinam promte ſecedunt; deinde prauis accenſendæ ſunt, quæ nondum fermentando defæcatæ ſunt, quæ aceſcunt, & acoris corrigendi cauſa variis admixtis palliantur, itemque quibus inebriamina quædam incocta ſunt, vt roſmarinus ſylueſtris, lolium temulentum.

§. XIIII.

Vinoſorum potuum generibus accedunt ſpirituoſi iſti, qui per deſtillationem parari ſolent, & ſplendido titulo aquarum vitæ venduntur. Eſt in illis principium inflammabile & valde exæſtuans, quare ad exhauriendum & conſumendum humidum natiuum, humores autem inſpiſſandos admodum

dum potenter valent. Deinde reſpectu noſtri ſanguinis & lymphæ edunt effectum coagulantem, vnde ad obſtructiones in vaſis & viſceribus plurimum valent, ſicque morborum chronicorum fundamenta iaciunt, vnde potiſſimum polypi, deinde hydropes & icteri originem ſuam naſcuntur. Tanto autem magis nocent hominibus vitæ ſedentariæ deditis, quando ipſorum corpora exterius frigore conſtringuntur, humoresque ad interiora loca compulſi detinentur.

§. XV.

Aquæ ſalubris & bonæ potus tantum abeſt, vt morbos faciat, vt ex ſaluberrimis potius ſit habendus. Nocent autem aquæ paluſtres, putridæ & putreſcentibus rebus, vt cadaueribus, inſectis, vegetabilibus corruptis imbutæ; item quæ glaciatæ fuerunt, & nuper a calore reſolutæ. Tales produnt malignitatem ſuam, eo, quod hypochondria inflant, & anxietates reſpirandique anguſtias faciant. Aliquando morbos putridos, imo venenatos inferunt. Non dicam de illo caſu, quo optima aqua venenum fieri poteſt, quando corpori ſumme calenti infunditur.

§. XVI.

Seorſim accuſari ſolent aquæ, multum tophacei ſecum vehentes, quod ſtrumoſas excreſcentias in partibus glanduloſis producant; vnde fiat vt hoc genus vitii nullibi magis conſpiciatur, quam vbi copia talium aquarum bibendique neceſſitas hominibus incumbit.

§. XVII.

§. XVII.

Inter potus etiam lac frequens eſt, non quidem tantopere adultis, quam teneris infantibus. Sæpiſſime inde ægrotant infantes, quando lac biberunt a matre, vel nutrice, grauiori iracundia percitis, aut terrore perculſis, vnde ſæpe in epilepſias incidunt. Alias graues cardialgiæ, vomitus, diarrhœæ inde eueniunt, cauſa eſt, quod tale lac in ventriculo coiit, & acrimoniam ſalinam, acidam inteſtina & ventriculum vellicantem, contraxit, vnde vel proxima via euacuari vomitu, vel alterari qualitas iſta debet.

§. XVIII.

Ad conſiderationem ciborum & potuum maxime pertinet illa admonitio de varietate & copia, plerorumque morborum familiariſſima cauſa. Nihil familiarius eſt apud noſtrates, quam cibos varios vni epulo inferre, vt acida, dulcia, ⊖lita, fumo indurata vni menſæ imponantur, hæcque inſuper tam variis aromatibus & condimentis apparata, vt difficile eſſet periurium vitare, ſi quis iuratus dicere deberet, quantum & quæ vno prandio aſſumſerit. Hinc naſcuntur apud nos tot veteribus ignoratæ cacochymiæ, vt opus fuerit nouis nominibus excogitatis; experientia docet, vix decimum quemque a tam lautis epulis diſcedere, qui non male ſe habere, aut appetitu deſtitutum eſſe, aliquanto tempore ſentiat.

SVB-

SVBSECTIO III.

DE

MOTV ET QVIETE.

§. I.

Motus & quies fiunt morborum cauſæ, quando in illis peccatur tempore & gradu ad naturam minus recte accommodatis; cum e contrario, ſi recte hæc adhibeantur, corpori ſalutem afferunt.

§. II.

Motus tempora ſunt, quando ventriculus bene concoxit aſſumta; qui ventriculo pleno ſeſe fortiori motui permittunt, magnopere læduntur, poſſuntque hoc errore febrem accendere, obſtructiones viſcerum ſibi contrahere, quoniam craſſum chylum ad humorum commercium depellunt. Poſſunt etiam ſcabioſis & vlceroſis affectibus corpora ſua reddere obnoxia.

§. III.

Etiam hoc ad tempus addi debet, vt quam integerrimis viribus corporis ad motum accedamus, non autem ſuſcipiamus exercitia vehementiora iam delaſſati & viribus fractis; omninoque iuſta debet eſſe proportio ad motum & vires, etiam reſpectu temporis, quo continuari aliquis motus impune queat.

§. IIII.

Quoad intenſionem & gradum motus iſtud in-

primis

primis tenendum eſt, vt ad vehementes motus non illico progrediamur, verum per gradus ſemper altius aſcendamus. Secus qui faciunt, & nondum patentibus poris humores labore calefaciunt, febrim quam facillime incendunt.

§. V.

Ea quoque ſit cautio, ne motum vehementem illico abrumpamus. Nam qui vehementer æſtuantes, & anheli ſimul & ſemel a motu deſiſtunt, ſeque quieti permittunt, facile incurrunt humorum in maioribus vaſis coaceruatorum, eiusmodi coagula, quæ polypi vocantur, & inemendabiles morborum cauſæ exiſtere ſolent.

§. VI.

Quies perpetua, aut nimia, vocatur deſidia, vel otium, & eſt in vitio; ſi quis autem corporis laboribus tempeſtiue interponit quietem maxime ſibi conſulit. Quieſcendum autem eſt homini, vt diximus, iam a cibo, itemque debilitato, & quando feruidiſſimum tempus eſt, tandem quotiescunque vires attritæ remiſſionem expoſcunt. Perpetuum otium corpus humoribus nimis implet &, quia ſecretiones & excretiones minuantur, impura reddit corpora & excipiendis morbis idonea.

SVBSECTIO IIII.

DE

SOMNO ET VIGILIIS.

§. I.

Vigiliæ quando nimis protrahuntur, & cauſa eas protrahendi eſt moleſta, itemque quando quis vigilias ſeriis ſtudiis impendit, inque eo modum excedit, non ſolum corpus eneruant & debilitant, verum etiam animum ita poſſunt a ſtatu ſuo deturbare, vt conſtantiſſimi hominis propoſitum flecti, & proſterni debet. Experientia hoc ſæpiſſime oſtendit, omninoque hiſtoriæ nobis ſuppeditant ſat multa & notabilia exempla, quibus hæc aſſertio confirmatur.

§. II.

Quæ ratio ſit, cur animo tantopere noxia fiat iſta continua agitatio, vix vlla alia dari poterit, quam quod intellectus noſter finitus eſt, viresque eius iuſtis interuallis remitti debent. Quod vero corpus ſub nimis protractis vigiliis conſumitur, eius ratio intelligitur, ab ipſius ſomni beneficio, de quo pridem veteres obſeruarunt, quod corpora humectet, id eſt, diſtributionem humorum per intimos receſſus, & fibras tenuiſſimas promoueat. Id cognoſcimus, quando in nobis ipſi experimur, quod per noctem moleſtiſſime feramus veſtes ar-

ctiores

ctiores, eaque vincula, quæ per diem facile tolerauimus, noctu & dormientibus moleſtias inferant. Atque obſeruatum eſt, non ſolum corpus tunc in amplitudine extendi, verum etiam in longitudine. Ex quo intelligitur, quod omnino debeat corpus extenuari & debilius reddi, ſi quando diutius caret iſto beneficio, quod ſomnus corpori affert.

§. III.

Somnum quidem immediate corpori nocere, nondum intellexi: ſed mediate dum otioſi & ſomnolenti, atque inſuper copioſo victu vtentes, abundantiam humorum multamque pinguedinem corpori inutilem colligunt.

§. IIII.

Solet præcipi a nonnullis, periculoſum eſſe ſomnum immediate a venæſectione, itemque poſt nimias hæmorrhagias, id ita puto intelligendum, non quod ipſe ſomnus per ſe debilitatis noceat, ſed quod vel a ſitu capitis decliui aliquid metuendum ſit, vel ſyncope forte accidens non ſentiatur adeoque hominem auferre poteſt, vnde merito cauetur talibus, adiungendo ipſis peritos homines, qui ſomno obrepente prouideant, ne vel hæmorrhagia recrudeſcat, vel ſyncope læthalis, aut aliud ſymptoma, nos fallat.

§. V.

Non opus eſt diſcutere hic quæſtionem vexatiſſimam de ſomno meridiano, quem aliqui accuſant, quod ad apoplexiam diſponat. Equidem puto ſatis conſtare, quod multi, quibus hic ſomnus per multos annos familiaris fuit, conſpicuam ætatem conſecuti ſint, nec apoplexia ablati: & e contrario, quod multi apoplectici diſceſſerint, qui nunquam indulſerant ſomno meridiano.

SVBSECTIO V.

DE

EXCRETIS ET RETENTIS.

§. I.

Excretiones vitioſæ tunc ſunt, quando illa euacuantur, quæ debebant retineri, aut quando talia, quæ excerni debent, nimia quantitate euacuantur. Retentorum vitium eſt, quando, quæ debebant excerni, in corpore retinentur. Eundum itaque erit per ſpecies ſingulas.

§. II.

In capite fiunt excretiones ⊖liuæ & muci. Saliua quibusdam hominibus morboſa, vel nimium fertur, vel vitio manifeſto imbuta. Nimium ſaliuæ profluuium aliquando ſentiunt homines lumbricis obnoxii, quod fere apud illos fit cum quadam

dam irritatione ad vomitum. Deinde vero accedit illis, qui per ☿ialia medicamenta incautius tractata, vel inconſulto adhibita, hanc læſionem contraxerunt. Damnum, quod inde euenit, redundat in ciborum digeſtionem & concoctionem vitiatam, & quando diutius manſit corpus omnino marcidum & exſuccum reddit. Idem aliquando experiuntur, qui fumo nicotianæ nimium indulgent, ſicque ſaliuam immodice eliciunt.

§. III.

Muci prouentus tam in ore, quam poſtremis faucibus & naribus, ſubinde magna incommoda creat, ſub catarrhali ſtatu. Non enim ſolum crebras ſternutationes, tuſſes & exſcreationes mouet, verum ſubinde etiam reſpirandi magnam difficultatem creat, quæ in quibusdam ad ſuffocationis periculum procedit. Cauſſa eſt congeſtio & reſtagnatio humorum ad nares tunicamque pituitariam, quæ has, vt & aſperam arteriam ac bronchia inueſtit. Præcipue periculoſa eſt conſtitutio ſenibus, quibus non raro apoplexiam ſeroſam acducit, deinde teneris infantibus, quibus catarrhum ſuffocatiuum cum celerrima pernitie afferre ſolet.

§. IIII.

In ventriculo & inteſtinis varia humorum genera confluunt, vt ibi in aſſumtorum reſolutione,

& noui chyli elaboratione officium faciunt. Hi omnes latices, quando nimium confluunt, faciunt diarrhœas, quando plane deficiunt, ſiccitas alui & vitioſa chyli elaboratio eueniant, neceſſe eſt. Cauſſa ſolenniſſima cur magis hic intentatur, ſecretio eſt, quando etiam ſe & excretiones, quæ per ſuperficiem corporis fieri debebant, imminuuntur, vel omnino diutius ſupprimuntur.

§. V.

Excretio bilis nimia, quando per inferiora profluit, deiectiones crebras & acres facit, quod ſi vero regurtitat ad ventriculum, multas ipſi creat moleſtias, præcipue autem vomitus feroces, qui, ſi non ſuccedunt, anguſtias & cardialgias inſignes, ſæpe ad inflammationem ventriculi, procedentes inducuntur. Quodſi vero bilis ex quacunque cauſſa non poſſit omnino in inteſtina deriuari, manet per humores diffuſa atque verſatur cum maſſa & ſimul cum lympha ad intimos corporis receſſus penetrat, flauumque colorem, vndiquaque diffundit, quem morbum ſolemus icterum vocare.

§. VI.

Interea dum bilis non influit, opus chylificationis valde deprauari, quin imo tantum omnino ceſſare, neceſſe eſt, quod & a poſteriore cognitum fuit, quia icterici iam valde confirmati, quando ſanguis ex venis ipſorum emittitur, nihil cruoris

rubri afferunt, ſed humorem ſeroſum inſtar ⊡næ.

§. VII.

In inteſtina confluunt plures humores, vt ex pancreate ordinario & ſecundario, ex extremitatibus arteriolarum tunicæ villoſæ, ex glandulis variis, tam ſolitariis, quam gregatim poſitis. Hic omnis prouentus, quando nimius eſt, facit diarrhœas aut hypercatharſes: vbi autem omnino deficit, aut iuſto parcius ſuccedit, fiunt ſiccitates alui habituales.

§. VIII.

In abdomine renes collocati ſunt, quod organum ſecretorium natura fecit, vt corpus a ſero ſuperfluo repurgetur, ac ſimul cum illo a multis ⊖linis 🜍eis atque 🜃eis ſordibus, quæ in ⊡nam demittuntur, & cum illa euacuantur Accidit huic euacuationis generi, vt nimium feratur, qui affectus dicitur diabetes, ſub quo corpus colliquatur & conſumitur. Alio tempore ⊡na ſupprimitur, quod vocant iſchuriam, nonnunquam cum dolore & difficultate prodit, qui affectus vocatur dyſuria, tandem quoque ob acrimoniam eius, quæ vrethram irritat & conſtringit, non niſi guttatim & cum magno dolore & ardore emittitur, quod ſtranguriam appellare ſolemus.

§. VIIII.

Sub iſchuria & dyſuria a quacunque cauſa diu-tius continuata, homo eſt in periculo hydropis; ſecui aliquando virum, ſæpius cum hoc morbo conflictatum, atque in rene eius vtroque obſer-uaui, quod tunica renis exterior aliquando ſpa-tio diſceſſerat, ibique collecta fuerat ſat magna quantitas ⊡næ. Iſtiusmodi veſicula ſi rumpitur, ⊡na in cauum abdominis effluit, ſicque hydropi via aperta eſt.

§. X.

Spermatis excretionem multi homines tota vita ſua parum exercent, ii ſcilicet, qui in cœliba-tu vel ſponte ſua manent, vel voto obſtricti ma-nere debent. Atque hi raro incommodum hinc ſentiunt. Si quis vero iam cepit ♀i litare atque in eo diligens fuit, is fere ſolet grauiſſime ferre hanc excretionem, ſimul ac ſemel abrumpendam, vnde tales ad omnia ſegnes redduntur, & quando victu ad ſemen generandum apto, vt & conuer-ſatione cum ſexu muliebri, vt & omni occaſione, qua libido excitari poteſt, non abſtinent, grauiſ-ſime ſubinde afficiuntur, & vsque ad furorem & inſaniam progrediuntur. Quod idem quoque mu-tatis mutandis de ſexu feminino intelligendum eſt.

§. XI.

Seminis excretio immodica & nimia, quæ fit ſub exercitio ♀reo nimis continuato, homines ma-

gnopere

gnopere debilitat, omninoque ad tabem diſponit, quin viſi ſunt, qui ſub ipſo actu concubitus nimis feruido & ſupra vires continuato, apoplectici mortui ſunt, aut vix potuerunt mortis periculo eripi: vbi autem gonorrhœa, ſiue benigna, ſeu maligna, diutius continuat, corpus ita exhaurit, vt prorſus tabidi fiant: quam ſpeciem Hippocrates vocauit tabem dorſalem. Huic ſimilia facit in feminis fluor albus, diutius inhærens, & chronicus.

§. XII.

Inter excretiones maxime ſolennes recenſeri debent ☒ſes mulierum, qui recte ſuccedentes, vt fructus perfectiſſimæ ſanitatis, ſic ſignum eius vigoriſque optime exiſtunt. Nimium eos ferri familiare eſt plethoricis, ſedentariæque vitæ deditis, aut quando humores vel aliquo rerum non naturalium vitio expanduntur, vel prorſus medicinis pellentibus exagitantur. Deficiunt ſæpe ex variis cauſis, tuncque omnes actiones tam naturales, quam vitales, quin imo animales etiam valde labefactantur & imminuuntur.

§. XIII.

Hæmorrhoidum excretio non paucis modis vitiatur, morboſamque conſtitutionem inducit. Et primo quidem molimina, quæ antecedunt fluxum iſtum, ſubinde varias moleſtias, doloreſque graues in partibus abdominis inducunt, vt ſenſum vibra-

vibratiuum & pungatiuum in regione oſſis ſacri, & coccygis, vnde dolores ſæpe excurrunt, ad partes ſuperiores, vt ventriculum, lienem, quin ipſum pectus & caput. Deinde vbi nondum ſecedunt, terribiles ſæpe moleſtias faciunt, hæmorrhoides cœcæ, quæ multis ad ſuppurationem & fiſtulas procedunt, ex quibus deinceps hectica corporis conſumtio non paucis euenit.

§. XIIII.

Fluentes hæmorrhoides quibusdam nimis feruntur, vt vires inde vere labefactentur, & cochexia immineat. Hoc rerum ſtatu ſi adhibeantur adſtringentia fortiora, vt ſunt ex 🜃ra catechu ⊕-lo ♂tis cum opio, inteſtinum tam forti ſpaſmo conſtringitur, vt humores ibi circulare nequeant, vnde regurgitant ad alias partes, &, ſi accedat cauſa expandens humores, vt calor ambiens, vini potus, omnino apoplexia inducta viſa fuit, de quo olim conferri poteſt diſp. Altorfii edita de apoplexia ab hæmorrhoidibus inconſulto ſuppreſſis. Vbi vero ex minus vehementi cauſa ſupprimuntur, chronicæ tamen moleſtiæ omnes, quæ ſub hypochondriaci mali nomine veniunt, ſuccedere ſolent, tandemque deſinere in cachexiam, hydropem, aut mictum cruentum, vomitum cruentum ſimilesque anomalias, ex quibus in alios chronicos morbos illabuntur.

§. XV.

§. XV.

Excretio aluina quando non ſuccedit, grauiſſimorum morborum fit cauſa. Non enim ſolum caput inde perturbatur & dolet, verum ſubinde & iam colicæ & iliacæ paſſiones ab hoc initio enaſcuntur, quin crepaturam inteſtinorum hinc eueniſſe didici ex caſu quodam forenſi, facultatis noſtræ iudicio ante annos XX. ſubiecto. Quando autem aluus nimium fertur, idque diutius continuat, inde labefactantur vires, quæ ſubinde ita collabuntur, *vt funeſtus euentus ſubſequatur.

§. XVI.

Supereſt excretio ſudoris, quæ, vbi nimium fertur, vt & vbi importune ſupprimitur, morborum cauſa multiplex euadere ſolet. Et primo quidem certum eſt, quod ſudores diu continuati humidum corporis exhauriant ſecedente fluido tenuiſſimo; remanente autem craſſiori & ad motum & penetrationem ineptiori, vnde non mirum videri debet, ſi ſudoribus colliquatiuis inualeſcentibus hectici homines intumeſcunt.

§. XVII.

Epidemius eſt error, quo ducuntur aliqui, ſudoribus nimium pretium ſtatuentes, qui ad eliciendum iſtum varia excogitauerunt, & illud inprimis, vt infuſis calidis ad feruentem fornacem hauriendis, corpore, vel lecto, vel veſtimentis multis

tis obruto, talia bibant. Fit hoc modo, vt habitus introducatur, ad cutim deponendi omnes impuritates ſeri tam halituoſas, quam ⊖linas. Vnde non mirum videri debet, quod noſtra ætate, patribus noſtris non adeo cognita purpura ſit tantopere frequens.

§. XVIII.

Sudores, quando bene fluunt, ſuppreſſi, aut quando ſubiectum, quod longo habitu ad ſudandum ſeſe diſponit, illico a more iſto diſcedit, dant occaſionem multis morbis, inprimis vero cutaneis, aut ſuperficiem affligentibus, id eſt, purpuræ, ſcabiei, faciei decolorationi, cachecticæ, tumoribus, inflationibus emphyſematicis in plenam cachexiam abeuntibus. Nec raro rheumatiſmi eueniunt, corpus totum graue & motui ineptum eſt, animi autem omnis alacritas perit. In infantibus ſæpe epilepſiæ ex hoc vno errore enaſcuntur. Ne dicam, quod iſtis conſtitutionibus, vbi ſudores commoti & identidem ſuppreſſi ſæpius per breuia interualla ſe excipiunt, febres frequentiſſime enaſcantur.

SVBSECTIO VI.
DE
ANIMI AFFECTIBVS MORBORVM CAVSIS.

§. I.

Affectus vel ſunt læti, vel triſtes, atque vtrumque genus, quando nos vehementer afficit aut diutius perferendum eſt, aliquando mortis ſubitæ, ſæpe morborum cauſa exiſtit. Breuitatis cauſa commendo diſſert. B. Chriſt. Johan. Langii de mortuis ex affectibus, vbi inſignia exempla cum docta explicatione legi & conſiderari merentur.

§. II.

Ad lætos affectus, qui nocuiſſe viſi ſunt, referri debet gaudium nimium, vere iam deſperanti oblatum. Sæpius enim viſum eſt homines ſubito exſpiraſſe ad primum nuncium rei exoptabilis. Mortis hoc genus proxime accedit ad apoplexiam fitque ob humores impetuoſe in arterias minimas, præſertim corticalis cerebri ſubſtantiæ impulſos, ibique ſubſiſtentes & progreſſu prohibitos.

§. III.

Ex affectibus lætis etiam amor, ſed fruſtratus & irri-

(*Schulz. Pathol. gener.*) M

irritus valetudini nocet. Atque tunc non tam lætus, quam moleſtus affectus eſt & in triſtitiam mœroremque tranſit.

§. IIII.

Ex affectibus triſtibus maxime valet terror & metus, a quibus multi ſubito fuerunt interemtii. Non æque iracundia hic valet, quippe quæ potius humores commouendo & ſolidarum partium tonum intendendo, ipſum progreſſum ſanguinis auget & promouet, neque facile præſentaneam noxam infert, niſi homines ſint valde plethorici & ad hæmorrhagias proni, aut ad motus conuulſiuos. Neque parum nocet poſt iracundiam illico ingeſtas cibus aut potus, ſed maxime omnium lædit, ſi homo vomendi conatibus poſt iracundiam correptus medicinam vomitoriam aſſumat.

§. V.

Qui ſub terrore in ſyncopen lapſi ſunt, atque diutius in illo ſtatu manent, plerumque hinc reportant polypoſas concretiones, a quibus deinde longorum & difficilium morborum origines ſubnaſcuntur.

§. VI.

Ex noxiis affectibus moleſtis etiam inuidia habenda eſt, quæ eſt dolor perceptus ex aliena felicitate

citate, adeoque paria facit cum triſtitia diuturna. Eius ſpecies eſt zelotypia ſeu animi ægritudo ob amorem fruſtratum, a quibus certe homines corpore conſumuntur & animo peruertuntur.

§. VII.

Omnes hæ paſſiones animi quemcunque morbum, quocum iunguntur, exacerbant & ſe ipſo grauiorem reddunt, ita vt moleſtiſſima mala, hyſtericum & hypochondriacum vel ex his cauſis producantur, vel ſi aliunde orta ſunt, haud expugnentur, niſi correctis & ablatis affectibus, fruſtraque fit omnis Medicorum diligentia, vbi continuo plus damni ab animo infertur, quam medicina corrigi & emendari poſſit. Et hæc nunc de cauſis morborum generalibus dicta ſufficiant.